DE M. TULLIO CICERONE POETA.

PARTICULA PRIOR.

DE INSCRIPTIONIBUS, DE ARGUMENTIS, DE TEMPORIBUS SINGULORUM CARMINUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ALBERTINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS UNA CUM THESIBUS

DIE XI. MENSIS Iul. A. MDCCCLXXXVII

HORA XI.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAXIMILIANUS GROLLMUS,

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

IOANNES MUELLER, STUD. PHIL.
PAULUS STERNKOPF, STUD. PHIL.

REGIMONTI.
EX OFFICINA HARTUNGIANA.

MEMORIAE

HENRICI JORDANI

S.

Ciceronem notum est, ut erat multiplici ingenii indole magnisque animi facultatibus, cum multis artibus allectum tum non mediocriter delectatum esse poetica. Imprimis autem ab Archia, poeta Antiocheno, cuius consuetudine et disciplina iam puer Romae utebatur, amore poesis eiusque praecipue Graecae imbutus est, ut ipse semel atque iterum in oratione pro eo habita profitetur. Atque illam artem quanti totam per vitam aestimaverit multi loci eius librorum clare ostendunt: interdum quidem, ubi a philosophiae partibus respicitur, iniquius, non unoquoque loco a Cicerone ipso, sed — id quod est considerandum — saepius ab aliis, qui dialogi participes sunt, de Musa iudicatur. Qui omnes loci compositi et iuste ponderati sunt ab Edm. Langio in libello ‚quid cum de ingenio et litteris tum de poetis Graecorum Cicero senserit' (diss. inaug. Halis Saxon. 1880.) p. 28—30. Ac quanto cum studio poetas ipsos legerit, apparet satis inde, quod saepissime, imprimis in epistulis, non raro ex memoria, ex poetis et Romanis et Graecis versus affert. Inter Romanos maxime Enni, inter Graecos imprimis Homeri et tragicorum illorum trium admiratione captus erat. Langius autem paulo iniquius quantopere Cicero in poetarum operibus volutatus sit statuere mihi videtur, cum saepius (l. c. p. 45. sqq.) inde, quod ex nonnullis poetis pauca tantum ponit, colligit, eos leviter

tantum illum legisse, et inde, quod quorundam ne nomina quidem affert, eos omnino non in manibus habuisse. Consentaneum meo quidem iudicio est, Ciceronem clarissimo et notissimo cuique poetae locos deprompsisse; inde autem non efficitur, ceteros poetas eum aut leviter aut omnino non cognovisse.

Tanto igitur poesis amore cum incensus esset, mirum videri non potest, quod ipse quid in ea valeret diversis temporibus periclitatus carmina composuit. Nullum autem, ut est notum, integrum servatum est. Plurima testimonia et fragmenta apud eum ipsum in singulis scriptis exstant, nonnulla alia apud alios scriptores, imprimis grammaticos. Praeterea maior inter se continua pars Phaenomenorum carminis fere 500. versus complexa compluribus codicibus inter alias res tradita est. Omnia collecta sunt in editionibus Ciceronianis (imprimis in ed. Baiter. & Kayser. v. XI. Lips. 1869. p. 89—137. praeterea in ed. Orelli. ²(Baiter & Halm) v. IV. Turic. 1861. p. 1012—1053., ubi adiectae sunt Nobbi adnotationes, in ed. C. F. W. Mueller. P. IV. v. III. Lips. 1879. p. 350—405., in vetustioribusque editionibus) et a Baehrensio (‚poetae Latini minores' Lips. 1879 p. 1—28. et ‚fragmenta poetarum Romanorum' Lips. 1886. p. 298 — 315., illic Aratea, hic cetera fragmenta). Cum autem ea, quae adhuc de Ciceronis poesi scripserunt viri docti, e parte ut arbitror aut suppleri aut corrigi possint, operae pretium mihi visum est, denuo omnes locos perscrutari quodque erui potest statuere et in singulari libello Ciceronis poetae quam accuratissimam imaginem adumbrare idque ita, ut in priore hac particula de inscriptionibus, de argumentis, de temporibus singulorum carminum, in altera, quae aliquando post, si licebit, sequetur, de rebus metricis, grammaticis, criticis generaliterque de poetica Ciceronis facultate acturus sim.

Adhibui in quaestionibus meis praeter litterarum Romanarum historias (Baehri [4] 1868. Bernhardi [5] 1872. Teuffeli [4] 1882.) et singulas de singulis carminibus dissertationes, quae suo quaeque loco afferentur, imprimis:

Drumanni opus ‚de historia Romae',

Heusdi librum ‚M. Tullius Cicero φιλοπλάτων' Traj. ad Rhen. 1836.

Poesis Ciceronianae singula temporis spatia.

Poesis Ciceroniana, si complures tempestates discernere volumus, aptissime duas in partes dividi mihi videtur, quarum prior adulescentiam, altera posteriorem aetatem complectitur; accuratum autem limitem inter duo haec spatia agere non licet, attamen generaliter iter illud, quod fecit Cicero sui ipsius in humanitate litterisque excolendi causa in Graeciam Asiamque (a. 79—77.), statuere possumus, ex quo postquam revertit rem publicam capessivit. Intra duo illa spatia singula carmina ad temporum rationem inter se ut componantur, maxima e parte fieri non potest, cum de paucis tantum carminibus quo tempore sint conscripta accuratius quaerere liceat; itaque is ordo, quem ego quidem, quandoquidem quidam ordo tenendus est, in sequentibus sequar, fere totus ad arbitrium constitutus est.

Carmina a Cicerone adulescente composita.

Adulescentiae Ciceronis ea carmina attribuenda esse arbitror, quae Graecorum exempla secutus composuit: nam scimus adulescentem imprimis Graecos eum imitatum esse, ut se in litteris artibusque exerceret excoleretque. Utrum autem exemplum suum accuratius secutus converterit an liberius imitatus sit, in unoquoque carmine statui non potest. Ceterum adulescentulus praecipue in poetas Alexandrinos studium contulisse videtur, ut satis e titulis singulorum carminum, de quibus paulo infra dicendum erit, apparere existimo: neque id mirum est, cum fere circa eius adulescentiam studium illorum efflorescere coeperit, quod post summopere ab elegiacis

poetis Romanis excultum est. Posteriore autem aetate sensu pulchri venustique magis erudito ab Alexandrinis se convertisse videtur ad antiquiores poetas Graecos, imprimis ad Homerum tragicosque illos tres: ex Alexandrinis enim poetis fere numquam post in scriptis suis locos affert et raro tantum neque benevole de iis dicit. Quae res ipsa quoque causa est, cur illa poemata ad Alexandrinos revocanda adulescentiae Ciceronis assignemus.

Pontius Glaucus. Inter prima pericula poetica etiam a puero facta numerandum est poematium quoddam trochaicis tetrametris conditum, quod inscriptum erat Pontius Glaucus. Fragmentum nullum exstat, testimonium unum tantum apud Plutarchum in vita Ciceronis 2. 2.: ‚*Γενόμενος. ὥσπερ ὁ Πλάτων ἀξιοῖ τὴν φιλομαθῆ καὶ φιλόσοφον φύσιν, οἷος ἀσπάζεσθαι πᾶν μάθημα καὶ μηδὲν λόγου μηδὲ παιδείας ἀτιμάζειν εἶδος, ἐρρύη πως προθυμότερον ἐπὶ ποιητικήν· καί τι καὶ ποιημάτιον ἔτι παιδὸς αὐτοῦ διασώζεται, Πόντιος Γλαῦκος, ἐν τετραμέτρῳ πεποιημένον. Προϊὼν δὲ τῷ χρόνῳ καὶ ποικιλώτερον ἁπτόμενος τῆς περὶ ταῦτα μούσης ἔδοξεν οὐ μόνον ῥήτωρ, ἀλλὰ καὶ ποιητὴς ἄριστος εἶναι Ῥωμαίων*'. Ex his verbis satis clarere mihi videtur, carmen illud etiam in pueritia Ciceronem composuisse, nec video, cur Drumannus (l. c. v. V. p. 220.) de Plutarchi testimonii veritate dubitet.

Epicum quin putemus carmen, obstat metrum. Plerique virorum doctorum ad sententiam inclinant, Aeschyli fabulam *Γλαῦκος Πόντιος* Ciceronem aut convertisse aut imitatum esse, ut Corradus (‚quaestura: duae partes, quarum altera de Ciceronis vita et libris . . . .' Bonon. 1555. p. 287. = p. 254. ed. Ernest.) Andr. Schottius (‚observatt. humanae' l. II. c. 27. p. 95. et ‚nodi Ciceroniani' l. III. c. 10. p. 352. Hanov. 1615.) Fabricius (‚M. Tulli Ciceronis historia per consules de-

scripta' in Onomastico Tulliano ab Orellio edito P. I. (v. VI.) p. 11. Baehrius (l. c. v. I. p. 438.) Leutschius (Zeitschr. für Altertumswissensch. 1834. p. 162. adn. 17.) Heusdius (l. c. p. 28. 29.) Quod contra eorum sententiam Nobbius (Cic. ed. Or.² v. IV. p. 1053.) dicit, Aeschyli drama non *Γλαῦκος Πόντιος*, sed *Γλαῦκος Ποτνιεύς* vel *Πότνιος* inscriptum fuisse, nullius momenti est, cum iam a Paullo Leopardo (emendatt. XI. 24. 25.) et post saepius a viris doctis expositum sit, Aeschylum duas inter se diversas fabulas *Γλαῦκος Πόντιος* et *Γλαῦκος Ποτνιεύς* composuisse. Attamen non puto, Ciceronis Pontium Glaucum carmen scenicum ad Aeschyli exemplum compositum esse. Vel vocabulum *ποιημάτιον* quo utitur Plutarchus obstare mihi videtur. Nec verisimile est, puerum Ciceronem eum ipsum poetam, qui erat difficillimus intellectu, imitandum sibi proposuisse. Mihi quidem potius lyricum poema minoris amplitudinis fuisse videtur et ad poetas Alexandrinos revocandum. Qui quam saepe et quam libenter illum mythum versibus tractaverint, intelligitur ex Athenaeo (ed. Schweigh. l. VII. v. III. p. 81. sqq.), qui haud ita paucos poetas enumerat.

De argumento, cum versus non exstent, statui non potest, utrum Cicero quomodo Glaucus herba illa comesa in deum marinum mutatus sit narraverit an unum quendam ex multis illis amoribus, quibus Alexandrinorum aetate famosus erat (cf. Athen. l. c.).

Uno tantum testimonio elegia quoque quaedam Ciceronis, cuius nomen nondum probabiliter erutum est, traditur. Servius enim ad Verg. Bucol. I. 58. adnotat: ,palumbes / columbae, quas volgus tetas vocat: et non dicuntur Latine, sed multorum auctoritas Latinum facit, Cicero in elegia quae † Taleamasta inscribitur: elegia †Taleamasta.

,iam mare Tyrrhenum longe penitusque palumbes relliquit.'

Codices a Lionio ad textum Servianum componendum adhibiti pro voce ,elegia' praebent ,egia', ,eia', similia: ,elegia' haud dubia coniectura esse mihi videtur; similiter, ut Ungerus ,de Valgio Rufo' (Halis Sax. 1848.) p. 264. monet, apud Marium Victorinum I. 15. 5. p. 75. ed. Gaisf. ,elegia' in ,eleia' mutilatum est. Atque etiam nomen huius elegiae in codicibus aliis aliter corruptum est. Cod. Leidensis (V.) habet ,Talea Masta', cod. Regius (R.) et Vossianus (Voss.) ,Taliamastas (s. masta), Guelferbytanus I., thalamasta', Guelf. II. ,taliamastas.' Versus a Servio traditus quale fuerit carminis argumentum non significat neque ad restituendum titulum adiuvat. Viri docti alii aliud proposuerunt, ut

G. I. Vossius, ,Ialemistes' (a verbo *ἰαλεμίζειν*),
Heinsius ,Thalia maesta',
Urlichsius ,Italia maesta' (Eos. I. a. 1864. p. 151.),
Nobbius ,*Τὰ ἐν ἐλάσει*' (l. c. p. 1052.),
Hertzius ,*Θαυμαστά*',
Heusdius ,Tempestas' (l. c. p. 57. sqq.),
Schneiderus ,*Τὰ Μέλανος*' (progr. gymn. Trzemesnensis 1844. p. 11. sqq. = Neue Jahrb. f. Phil. u. Paed. 1845. suppl. XI. p. 542. sq.),
idem ,*Τάλασις*' (= *τλῆσις*) (Zeitschr. f. Altertumswissensch. 1845. suppl. p. 25.),
Ungerus ,*Θαλαμῖται*' (l. c. p. 264.).

Non opus esse arbitror, singulas coniecturas accuratius examinare. Omnes, cum de carminis argumento omnino nihil notum sit, probabilitatem non habent, neque pares tituli apud alios poetas inveniuntur; praeterea nonnullae coniecturae ut illud ,Tempestas' longius a litteris traditis recedunt, quam ut respiciendae sint. Etiam nonnulla alia, si id unum agitur, ut nomen quoddam afferatur, proponi possunt, ut *Θαλερόμαστος*, *Θηλυμανής*. Ego quidem puto in corruptis litteris acquiescendum

neque semel atque iterum novas coniecturas faciendas esse, quarum nulla probabilior est quam priores. Id unum verisimile esse mihi videtur, titulum lingua Graeca compositum fuisse, cum vix fieri posset, ut vocabulum Latinum adeo depravaretur.

Ungerus (l. c. p. 264.) hanc elegiam Ciceroni abiudicatam C. Helvio Cinnae attribuit. Ipsius verba sunt: ‚Recordanti mihi, quae Burmannus in Serv. in Ecl. IX. 7. ‚subducere colles incipiunt. Cicero: ex alto in campos dissolvi' scripsit p. 143. not. 27: ‚frustra hoc quaeras in Cicerone; nam est Servi interpretatio τοῦ se subducere. Sed ut doceatur lector, unde hoc provenerit, in Mss. est: subducere C. I. ex alto. Ex duabus illis litteris C. I., quibus ‚colles incipiunt' designantur, fecerunt ‚Cicero' et sequentia Ciceronis esse putaverunt': subiit suspicari Servi verba, quae sic prodita sunt in cod. Leidensi altero: ‚Cic. in ergia', olim hoc modo consignata: ‚Ci. in elegia' mentionem Cinnae, non Ciceronis habuisse.' Meo quidem iudicio — non pluribus verbis opus esse puto — illa coniectura Burmanniana, quae num recta sit valde dubito, omnino non potestatem dat legendi illo loco pro ‚Cicero' ‚Cinna'. Non est, cur testimonio Servi, apud quem ‚Cicero' certe traditur — nam ‚Cic.', quod unus tantum codex habet, multo probabilius in ‚Cicero' quam in ‚Cinna' suppletur — diffisi carmen ali scriptori assignemus.

Exemplum huius quoque elegiae inter Alexandrinos quaerendum erit, quos praecipue in hoc poesis genere imitandos sibi proposuisse Romanos satis notum est. Sin adulescens, ut mihi videtur, Cicero carmen composuit, is, non Varro Atacinus aut Catullus, primus, quantum quidem cognoscere licet, elegiam ad Romanos transtulit et virgam, ut ita dicam, in terra Latina insevit, quae

paulo post pulcherrimos et fragrantissimos flores progenuit. Hac igitur a parte in excolenda poesi Romana non secundas partes agit.

Alcyones. Uxorius. Nilus. Complurium aliorum carminum fit mentio apud Julium Capitolinum in vita primi Gordiani c. 3., ubi codices habent: ,adulescens cum esset Gordianus de quo sermo est poemata scripsit, quae omnia exstant, et quidem cuncta illa, quae Cicero et demerio et arathum et balcyonas et Nilum, quae quidem ad hoc scripsit, ut Ciceronis poemata nimis antiqua viderentur.' Non omnia a voce ,Cicero' incipientia recte tradita esse manifestum est. Heusdius (l. c. p. 35—40.) proponit: ,quae Cicero hexametris ex Arato halucinatus est, Exortum et Nixum: quae quidem . . .' Quae coniectura non minus improbabilis quem audax esse mihi videtur. Inter tradita verba si nullum aliud, attamen ,balcyonas' vel correctione quae vix correctio est adhibita ,alcyonas' viro docto non tentandum erat, qui titulus Noni quoque testimonio (p. 65. 8.) affirmatur. Accedunt complures de dictione et de re scrupuli. ,Halucinatus est' nimis acriter, etiam a vituperatore, dictum esse mihi videtur, etiamsi Cicero, ut infra videbimus, nonnumquam in Arateis convertendis erravit. Atque etiam ,hexametris' inutiliter et languide quodammodo additum est. Praeterea, etsi conceditur Arati *Φαινόμενα* in duas partes ,*Ἀστροθεσία*' et ,*Ἀνατολή*' divisa Ciceroni in manibus fuisse, ut Heusdius vult, tamen nullo modo ,*Ἀστροθεσία*' voce ,Nixus' reddi potuit. ,Nixus' non esse positionem, sed motum et cursum stellarum ex eo ipso loco clare apparet, quem Heusdius, ut suam ipsius sententiam fulciat, affert (Cic. de nat. deor. II. 46. 117.): ,in aethere autem astra volvuntur, quae se et nixu suo conglobata continent et forma ipsa figuraque sua momenta sustentant.' Hic ,nixu' ut idem atque ,positione' esse putemus,

nullo modo fieri potest Etiam illum locum ex Varronis Chronographia:

> ‚vidit et aetherio mundum torquerier axe,
> et septem aeternis sonitum dare vocibus orbes,
> nitentes aliis alios . .'

vir doctus afferre non debebat. Hic non de stellis agitur, sed de septem aetheris circulis, qui inter se nituntur, i. e. inter se cohaerent. Ad extremum ‚Ἀστροθεσία' et ‚Ἀνατολή' Arati non cuncta sunt quae Cicero convertit, sed praeterea, ut notum est, eius ‚Διοσημεῖαι' Latine reddidit.

Heusdi igitur lectio placere minime potest et revertendum est ad vetustiores, sed simpliciores et probabiliores correctiones. Jam apud Corradum (l. c. p. 287. = p. 254. Ern.) legimus, id quod Gruterus quoque et Nobbius probant, ‚quae Cicero ex Demetrio et Arato, et Alcyonas et Uxorium et Nilum: quae quidem . . . .' Sed de Demetrio poeta quodam neque apud Ciceronem neque alias quidquam comperimus. Atque etiam dictio in illa lectione quodammodo dura et aspera est.

Casaubonus proposuit ‚quae Cicero edidit, Marium et Aratum et Alcyonas et Uxorium et Limona.' Ex decurtato ‚edidit Marium' (fere sic: ‚ed. Mariū.') facile nasci potuit ‚et de Mario,' vel ‚demerio'. At ‚Nilum' non iure Casaubonus in ‚Limona' mutavit, etsi nullum aliud testimonium illius carminis occurrit: quippe etiam Ponti Glauci et elegiae illius uno tantum loco, ut scimus, mentio fit, item carminis ‚Uxorius'. Itaque optimo iure Salmasius ceteris Casaubono assensus ‚Nilum' in textum restituit, quem omnes recentiores editores secuti sunt, ita ut hodie legamus ‚. . . cuncta illa quae Cicero edidit, Marium et Aratum et Alcyonas et Nilum.'

De Mario et Arateis paulo infra dicam.

Carminis ‚Alyones‘ titulum satis testatur Capitolinus (l. c.). Conscriptum erat hexametris, ut docet versus a Nonio (p. 65. 8.) traditus: ‚Cicero Alcion.‘*)

. . . hunc genuit claris delapsus ab astris
praevius. Aurorae solis noctisque satelles.‘

Agebat poema, ut titulus significare videtur, de Ceyce, rege Trachinis, et Alcyone in alcyones mutatis, quae fabula ab Ovidio quoque (Met. XI. 270. sqq.) et ab Hygino (fab. 65.) aliisque narrata est. Hesiodi carmen ‚*Κήυκος γάμος*‘ Ciceroni ante oculos obversatum esse, ut Heusdius vult (l. c. p. 27.), non puto: nam Hesiodeum carmen, ut titulus docet, nuptias, Ciceronianum autem praecipue, ut videtur, metamorphosim Ceycis et Alcyones tractavit. Hic quoque nescio an Alexandrinum quendam poetam Cicero secutus sit.

‚Uxorius‘ (i. e. uxori obnoxius) aliud a Capitolino allatum carmen inscriptum fuisse videtur (non ‚Uxorium‘ quod aut tributum quoddam significat, cf. Paul. ex Fest. p. 379. C. O. Muell., de quo vix quisquam versus pepigisse putandus est, aut eadem sententia usurpatur atque ‚potio‘ (gr. ‚*φίλτρον*‘), sed demum a Quintiliano, decl. 15. 9.). Similis titulus atque ‚Uxorius‘ occurrit in comoedia quae dicitur recentiore: ‚*Γυναικοκρατία*‘ enim inscriptae erant comoediae Alexidis (cf. Athen. III. p. 125. b. Pollux. IX. 44.) et Amphidis (cf. Athen. VIII. p. 336. c. Meineke. fr. com. Gr. v. I. p. 405.), qui circa Alexandri Magni aetatem floruerunt. Alexidis comoedias a Romanis translatas esse testatur Gellius N. A. II. 23. Fortasse alterutram comoediam Cicero secutus est. Uxorius eadem sententia atque ‚*γυναικοκρατούμενος*‘ adhibetur ab Horatio carm. I. 2. 19/20., a Vergilio Aen. IV. 266., a Macrobio sat. VII. 3. 19.

---

*) ‚Alcyonibus‘ recte Olivetus supplevisse mihi videtur.

‚Nilum' quoque Ciceronem verisimile est ad Graecum quoddam exemplum composuisse idque, ut titulus ostendere videtur, Alexandrinum. Ceterum idem erat titulus carminis cuiusdam, quod circa finem quarti saeculi p. Chr. Claudianus condidit (Gesn. 47. = Jeep. carmina minora. 27.).

In adulescentia Cicero Arati quoque carmina convertit, quae inter notissima divolgatissimaque Alexandrinorum numeranda sunt. Quam studiose lectitata sint et a Graecis et a Romanis, docet magnus numerus eorum qui aut commentarios ad illa carmina composuerunt aut ea in Latinum transtulerunt vel liberius imitati sunt. Primus, quod quidem notum sit, convertit Cicero, secuti sunt posterioribus temporibus Germanicus Caesar et Avienus: praeterea Varro Atacinus et Vergilius et Ovidius saepius ad Aratum recurrisse videntur. Avieni et Phaenomena et Prognostica tota exstant, Germanici Phaenomena tota, Ciceronis duorum carminum haud ita pauca fragmenta minora, quorum plurima apud eum ipsum, imprimis in libris de natura deorum et de divinatione, et apud grammaticos, praecipue Priscianum, servata sunt; praeterea in compluribus codicibus maior inter se cohaerens pars 480. versus complexa traditur, quae respondet Arati Phaenomenis v. 230—700. Multa cum arte ea quae desunt supplevisse carmenque inter se continuum refecisse H. Grotium notum est in ‚syntagmate Arateorum' (Lugd. Bat. 1600.), quod erat eius primum opusculum philologicum. Neque praetermittam, quod Lupus, abbas Ferrariensis (Lupi opera ed. St. Baluz. Antverp. 1710. epist. 69. p. 112.) Ansbaldo, monacho Prumiensi, scribit: ‚tu autem huic nostro cursori Tullium in Arato trade, ut ex eo, quem me impetraturum credo, quae deesse illi Eigil noster aperuit, suppleantur,' quae verba iam Fabricius (bibl. Lat. I. lib. I. c. 8.) monet. Verisi-

Aratea. (Phaenomena, Prognostica.)

mile igitur est Prumii in monasterio (apud Augustam Trevirorum sito) etiam saeculo nono integrum exemplar Ciceronis Arateorum fuisse; fortasse autem id quoque fieri potuit, ut Lupus erraret.

Duo carmina inter se secrevit Cicero, Phaenomena et Prognostica. Prius carmen ipse quidem numquam ‚Phaenomena' appellat, sed, ubi id significat (de legg. II. 3. 7; de nat. deor. II. 41. 104.), generaliter dicit ‚carmen Arateum'; atque etiam Priscianus mire quodammodo, ubi Phaenomena affert, semper laudat ‚Cicero in Arato' (cf. I. p. 210. 21; p. 211. 11; p. 247. 17; p. 285. 4; p. 351. 2; p. 504. 15; II. p. 55. 25; Hertz.), ubi ad Prognostica recurrit, semper ‚Cicero in Prognosticis' (cf. I. p. 196. 9; II. p. 105. 8; p. 287. 6; uno eodem loco I. p. 504. 15. ‚Cicero in Arato', 19. ‚idem in Prognosticis). ‚Phaenomena' carmen alterum primum ab Hygino in fab. 14. diserte appellatur, neque dubitandum est, quin Cicero ipse ita ut Germanicus et Avienus carmen inscripserit. Alteri carmini nomen ‚Prognostica' erat, ut ipse (ad Att. II. 1. 11; XV. 16. b.) et Priscianus ll. cc. appellat. Hoc nomen primum apud Ciceronem, quem secuti sunt Germanicus et Avienus, occurrit, Graeci nomine ‚Διοσημεῖαι' (non Διοσημεῖα, ut recte Grauertus Rhein. Mus. ed. Niebuhr. I (1827.) p. 336. sqq. docet), uti solent. Sed nomen mutatum non esse mihi videtur cur nimis miremur. Nam ne Διοσημεῖαι quidem nomen ab Arato ipso, sed a grammaticis profectum est. Et Φαινόμενα enim et Διοσημεῖαι quae dicuntur et fortasse alia quoque Aratus, ut Grauertus sagacissima quaestione l. c. ostendit, uno inter se continuo carmine, quod inscripsit ‚Φαινόμενα', complexus esse videtur. Aliquanto demum post grammatici carmen ratione argumenti habita diviserunt minimum in tres partes, quarum prima inscripta ut videtur Ἀστροθεσία

usque ad v. 450., secunda *Ἀνατολή* vel similiter appellata usque ad v. 731., ultima, *Διοσημεῖαι*, usque ad v. 1153. pertinebant. Posteriore autem tempore ut arbitror prima et altera pars, quae artius inter se cohaerent, rursus in unum comprehensae sunt servato nomine *Φαινόμενα*, ultima autem pars, cuius argumentum cum duabus prioribus minus coniunctum et levi tantum transitu conexum est, secreta est, ita ut singulare carmen imposito nomine *Διοσημεῖαι* haberetur. Ciceronem, ut Germanicum et Avienum, duo inter se diversa carmina intellexisse apparet ex ep. ad Att. II. 1. 11. ‚Prognostica mea cum oratiunculis propediem exspecta'. Nomen autem *Διοσημεῖαι*, cum arbitrio grammaticorum natum sit, facile fieri potuisse mihi videtur, ut alio titulo loco suo moveretur. Primum vestigium novi nominis ‚Prognostica' occurrit in vita quadam Arati (Westermann, *Βιόγραφοι* p. 56. sub fin. = Arat. ed. Buhle v. II. p. 443.), ubi de tribus Phaenomenorum partibus dictum est: ‚*ἔστι δὲ τριχῶς Φαινομένων αὐτοῦ πραγματεία· καταστέρωσις, καὶ συνανατελλόντων καὶ συνδυόντων, καὶ π ρ ο γ ν ώ σ ε ι ς δ ι ὰ σ η μ ε ί ω ν.*'

Phaenomena convertit Cicero iam adulescentulus, ut ipse affirmat, cf. de nat. deor. II. 41. 104. ‚atque hoc loco me intuens, utar, inquit, carminibus Arateis, quae a te admodum adulescentulo conversa ita me delectant, ut multa ex iis memoria teneam.' In adulescentia Phaenomena illum scripsisse praeterea testantur haud ita pauci archaismi nec minus variae dictionis asperitates negligentiaeque et leviores gravioresque errores, quibus de rebus, ut de ratione quam in transferendo Cicero secutus est, in altera huius dissertatiunculae parte acturus sum. Hic nonnulla tantum exempla indiligentiae errorumque enumerare mihi liceat, e quibus quanti

aestimanda sint conversa Phaenomena apparere mihi videtur.*)

V. 10 sqq. — laudo hic et infra maius illud fragmentum — habet Cicero:

,Inferior paulo est Aries et flamen ad Austri
inclinatior atque etiam vehementius illi
Pisces, quorum alter paulo praelabitur ante
et magis horrisonis Aquilonis tangitur alis',

voce ,προφερέστερος' (Arat. v. 240.) falso intellecta. Nam ut est conexus non id sidus, quod magis ad septentriones spectat, alteri praelabitur, sed id, quod magis ad meridiem versum est. Itaque non de positione stellarum προφερέστερος interpretandum est, sed de maiore splendore, ut iam scholiastes recte adnotat ad v. 239. Eandem vim habet vox προφερέστερος v. 326.

Graviter peccat Cicero v. 206., ubi Arati ,εὔροιο' (v. 434.) reddit voce ,Favoni'. Ventus enim quem Graeci vocant Eurum ab ortu solis ut notum est flat, Favonius (i. e. Zephyrus) ab occasu. Eodem loco duas res inter se commutat, cum transfert (v. 203. sqq.):

,sin umeros medio in caelo Centaurus habebit,
ipseque caerulea contectus nube feretur,
atque Aram tenui caligans vestiet umbra,
a signorum obitu vis est metuenda Favoni';

apud Aratum autem caerulea nubes Aram, Centaurum tenuis caligo tegit (cf. v. 431. sqq.).

Praeterea statuendus est error v. 307. sqq. Duo priora verba versus 307.

,culmine transverso retinentes sidera fulta'

(sc. singuli caeli orbes) quid sibi velint vix quisquam dicat. Elapsa esse videntur calamo Ciceronis, cum aliquanta cum negligentia imitatus est Aratum, qui de illis orbibus dicit (v. 534.)

---

*) Errores illos, nisi erro, Grotius in syntagmate Arateorum collegit, quod opusculum ut inspicerem mihi non contigit.

,ὡς τάγ' ἐναιθέρια πλαγίῳ συναρηρότα κύκλῳ'
(i. e. transverso circulo signifero).

De solstitiali, aequinoctiali, brumali, signifero circulo Cicero dicit v. 308:

,quattuor hi motu cuncti volvuntur eodem.'

Hoc autem non de quattuor illis, sed de tribus tantum pari intervallo inter se distantibus circulis putandum est una cum Arato, apud quem τὰ μὲν (v. 534.) ad tres illos circulos, ὅγε autem (v. 537.) ad signiferum revocandum esse manifestum est.

Maxime autem mirandum est, quanta cum socordia Cicero illum locum reddiderit, quo Aratus a hemisphaerio septentrionali transit ad meridianum describendum. Postquam enim ad extremum de Delphino egit, Graecus poeta pergit (v. 319. sqq.):

,Καὶ τὰ μὲν οὖν βορέω καὶ ἀλήσιος ἠελίοιο
μεσσηγὺς κέχυται· τὰ δὲ νείοθι τέλλεται ἄλλα
πολλὰ μεταξὺ νότοιο καὶ ἠελίοιο κελεύθου.'

Quibus verbis omnino falso ad Delphinum relatis Cicero vertit (v. 99. sqq.):

,at pars inferior Delphini fusa videtur
inter Solis iter, simul inter flamina venti,
viribus erumpit qua summi spiritus Austri.'

Haec pauca exempla satis docere mihi videntur, illum non solum paene puerili aetate, sed etiam paene puerili cum indiligentia Arati Phaenomena in linguam vernaculam transtulisse.

Prognostica quo tempore conversa sint, viri docti inter se discedunt. Corrado (l. c. p. 193. sq. = p. 260. Ern.) adulescentulus et Phaenomena et Prognostica Cicero convertisse, post autem a. 60. ipse, Aratum non imitatus, carmen ,Prognostica' inscriptum composuisse videtur: nam in ep. ad Att. II. 1. 11. (,Prognostica mea') et de div. I. 8. 13. (,Prognostica tua') pronomine possessivo ,meus' vel ,tuus' adiecto carmen Ciceronis ipsius esse

diserte affirmari. Sed haec sententia stabilis esse non potest. Nam si a. 60. ipse, non ad Arati exemplum, Prognostica conscripsisset, certe in libro de divinatione a. 44. conscripto non ex Arato in adulescentia conversos, sed a se ipso a. 60. compositos versus ille attulisset. Versus autem illic positi ut primo obtutu satis patet accurate Arateis respondent.

Alii ut Nobbius (l. c. p. 1036.) et Heusdius (l. c. p. 40.) nixi verbis in ep. ad Att. II. 1. 11. (a. 60.) scriptis ‚Prognostica mea cum oratiunculis propediem exspecta' iudicant Ciceronem adulescentem et Phaenomena et Prognostica convertisse, posteriore autem aetate Prognostica denuo pertractasse. Sed ne hoc quidem verisimile esse mihi videtur. Nam si posterioribus annis rursus ad Prognostica aggressus esset, certe — id quod non factum esse silentio ipsius et ceterorum satis affirmatur — Phaenomena quoque retractasset, ut illa e parte haud ita levia menda removeret, quae ipse quoque maturiore aetate perspexisse putandus est.

Henricus Jodanus, vir doctissimus, praecipiti morte nuper omnium summo cum dolore litteris et discipulis ereptus, Ciceronem adulescentulum Phaenomena tantum, a. 60. demum (cf. ad Att. II. 1. 11.) Prognostica Arati convertisse arbitratus est (cf. Krit. Beitr. zur Gesch. der lat. Sprache p. 299.). Sed re semel atque iterum deliberata viro doctissimo, praeceptori dilectissimo, hic quidem assentiri non possum. Quod Cicero de nat. deor. II. 41. 104. ex Phaenomenis tantum versus ponit idque carmen in adulescentia conscriptum esse dicit, de divin. autem I. 8. 13. ex Prognosticis tantum locos affert de tempore nil adiciens, ea mihi quidem indicia edere non videntur, Prognostica posteriori demum aetati attribuenda esse. Nam ne de legg. quidem II. 3. 7., ubi Phaenomena memorat (‚a Jove Musarum primordia', sicut in

Aratio carmine orsi sumus'), quo tempore condiderit significat. Quod autem de legg. l. c. ad Phaenomena tantum, de divin. l. c. ad Prognostica tantum recurrit, natura rerum inter se diversarum quas tractat duobus locis effici puto. Neque etiam incredibile, ut est viri doctissimi sententia, mihi esse videtur, Ciceronem a. 44. in ep. ad Att. XV. 16. b. verbis ‚equidem etiam pluvias metuo, si Prognostica nostra vera sunt. Ranae enim ῥητορεύουσιν' significasse poema in adulescentia compositum. Dubium enim esse non potest, quin, ut Aratus inter Graecos, ita Ciceronis carmina inter Romanos divolgatissima fuerint, cum inesset argumentum omnino populare et ille primus inter Romanos transtulerit. Praeterea monendum est illa verba non in libro toti populo scripto, sed in epistula ad Atticum familiarissimum missa esse, ita ut non opus esset diserte quo tempore Prognostica orta essent adicere. Illa verba autem in ep. ad Att. II. 1. 11. a. 60. scripta ‚Prognostica mea cum oratiunculis propediem exspecta' non necesse est ad novum eodem illo tempore ortum carmen referantur, sed facile fieri potuit, ut Atticus (cf. Fabricius l. c. p. 14. Drumannus l. c. v. V. p. 222. adn. 36.), cum omnia exemplaria Prognosticorum Ciceronianorum quae suppetebant vendita essent, ab amico, ut aliud mitteret rogaret, quod a librariis multiplicaretur: cui preci Cicero se satisfacturum esse in illa epistula promisit.

Nulla igitur ex re Prognostica posteriore aetate conscripta esse effici mihi videtur, at contra nonnullis de causis illud carmen ut Phaenomena adulescentiae attribuendum esse arbitror. Posterius enim Cicero intellexit, Aratum haud ita magna scientia in astrologia excellere neque ulla re eius carmina nisi arte poetica praestare, cf. de orat. I. 16. 19; de republ. I. 14. 22. Quae iudicia etiamsi demum a. 55. et a. 54. fecit, tamen

iam circa annum 60. idem de Arato cognovisse putandus est, ita ut non verisimile sit, nihilo setius eum illo tempore Prognostica in Latinum transtulisse. Praeterea vix credibile est, si maturiore aetate Prognostica Latine reddidisset, Phaenomena non retractaturum eum fuisse, ut illos haud ita paucos et leves errores, in quos adulescentulus inciderat, tolleret, quod non factum esse iam supra (p. 16.) dictum est. Accedit, quod ipse, nisi fallor, testatur Prognostica se conscripsisse admodum adulescentulum, cf. de nat. deor. II. 41. 104: ‚atque hoc loco me intuens ‚utar, inquit, carminibus Arateis, quae a te admodum adulescentulo conversa . . . . .' Non de uno igitur ex Arato translato carmine hic dicit, sed de pluribus, i. e. de Phaenomenis et de Prognosticis. Aliter verba ‚carminibus Arateis' (velut sic, ut carmina non sint complura inter se diversa poemata, sed complures eiusdem poematis loci) intelligere non licet.

Quae cum ita sint, non dubito Fabricium (l. c. p. 14.) et Drumannum (l. c. v. V. p. 222.) et alios secutus Prognostica quoque primae adulescentiae Ciceronis attribuere. Utrum autem eodem tempore an spatio quodam temporis interposito duo carmina converterit, diiudicari non potest.

Marius. Omnia carmina de quibus adhuc dixi ad Graecorum exempla composuisse videtur, quae aut artius secutus convertit aut liberius imitatus est. Sed iam adulescentulum ad argumenta e Romanorum ipsorum rebus capta eum aggressum esse, docet carmen quo Marium celebravit. Id inscriptum fuisse ‚Marius' satis ex ipsius testimoniis patet, cf. de legg. I. 1. 1. (‚in Mario'), ibid. I. 47. 106. (‚apud te in Mario'), ad Att. XII. 49. 1. (‚per eum Marium, quem scripsissem'). Epicum autem erat carmen versibus hexametris conditum, ut fragmenta servata ostendunt.

Quo modo singulae res inter se dispositae et explicatae fuerint, utrum tota Mari vita tractata fuerit an certa quaedam pars, statui non potest. Id unum scimus, fugam quoque illam mirificam a. 88. factam a poeta enarratam fuisse: ex 13. illis versibus, qui de div. I. 47. 106. exstant, apparet, Mario Arpini, quo fugiens venerat, augurium factum esse, quod reditum futurum et novam gloriam significabat. Versus quoque de legg. I. 1. 2. positus ‚nuntia fulva Iovis, miranda visa figura', ut totum illud prooemium, ad hanc poematis partem revocandus est. Praeterea recte Olivetus huic carmini attribuisse videtur versum ab Isidoro (Origg. XIX. 1. 20. p. 583. Otto.) e Cicerone allatum ‚tunc se fluctigero tradit mandatque paroni', quae verba ipsa quoque ad Mari fugam spectant. Quo iure autem Heusdius (l. c. p. 46.) ex initio librorum de legibus concludat, poetam illo carmine imprimis id studuisse, ut Arpinum, Mari et suam ipsius patriam, illustraret, intelligere me non posse confiteor. Vel titulus ‚Marius' satis ostendit, praecipue de hoc viro Ciceronem egisse.

Maxime autem quo tempore Marius scriptus sit viri docti inter se dissentiunt. Ac primum constare mihi videtur, carmen ortum esse, postquam Marius Romam (a. 87.) revertit, cf. de div. I. 47., ubi Q. Cicero praeter alia testimonia, quae doceant auguria vim et eventum habere, ex Mario fratris 13. illos versus affert, quorum ultimi sunt (§ 106. v. 9. sqq.):

> ‚hanc ubi praepetibus pinnis lapsuque volantem
> conspexit Marius, divini numinis augur,
> faustaque signa suae laudis reditusque notavit,
> partibus intonuit caeli pater ipse sinistris.
> Sic aquilae clarum firmavit Juppiter omen.'

At Halmius (Heidelb. Jahrb. der Litter. 1843. p. 443. sqq.) ex his ipsis versibus contrarium concludit, carmen con-

scriptum esse, priusquam Marius rediisset. Quam sententiam falsam esse, pluribus explicare non opus esse puto; si integro cum iudicio ad rem accedimus, manifestum e re ipsa esse arbitror, augurium post eventum intelligendum esse.

Iam quaeritur, utrum omnino etiam adulescentiae an posteriori aetati Ciceronis carmen sit assignandum. In hac quaestione viri docti proficisci solent ex illo Scaevolae in Ciceronis Marium epigrammate, cuius versus unus de legg. I. 1. 2. affertur: ‚eaque (sc. quercus), ut ait Scaevola de fratris mei Mario:

‚canescet saeclis innumerabilibus.‘

Bakius quidem (ed. Cic. de legg. Lugd. Bat. 1842. p. 267. sqq.) existimat, illum non in confectum carmen epigramma composuisse, sed in carmine ipso a Cicerone illa verba de quercu dicentem factum esse. Sed effugit virum doctum, illis verbis pentametrum includi, carmen autem ipsum hexametris conscriptum fuisse. Praeterea ‚Scaevola ait de fratris mei Mario‘ non idem est atque ‚Scaevola ait in fratris mei Mario.‘ Neque etiam, ut Bakius putat, ‚canescet saeclis innumerabilibus‘ de carmine dictum offendere potest; cf. M. Haupt. opss. v. I. p. 213. sq., ubi pluribus Baki sententiam refellit. Mire quodammodo post illam Haupti dissertatiunculam Mesnilius (ed. Cic. de legg. Lips. 1879.) denuo Baki sententiam fulcire conatus est compluribus novis, sed non minus improbabilibus causis adiectis. Certum igitur est, Scaevolam epigramma Ciceronis in M a r i u m, non in M a r i o condidisse.

Controversia autem inter viros doctos intercedit, quem Scaevolam poeta in mente habuerit. Turnebus, Nobbius (l. c. p. 1048.), Heusdius (l. c. p. 45.) Q. Mucium Scaevolam pontificem intelligentes in Ciceronis adulescentia ante a. 82., quo ille mortuus est, versus de

Mario conscriptos esse putant. Sed mihi quidem incredibile esse videtur, hunc Scaevolam laudibus illud poema extulisse: erat enim optimatum partium studiosissimus implacabilique in Marianos odio imbutus. Iam in funere Mari a. 86. instigante C. Flavio Fimbria Mariani eum occidere conati sunt: non autem quod agebant successit. Sed pontifex non effugit illos: paucis enim post annis (a. 82.) Mario filio auctore iuxta Vestae templum trucidatus est. Quae cum ita sint, Scaevolam pontificem in prooemio illo a Cicerone significari meo iudicio negandum est.

Drumannus (l. c. v. V. p. 221.) Q. Mucium Scaevolam augurem esse arbitratus carmen in anno 87. collocat, quo et Marius revertit et huius quidem viri docti sententia augur mortuus est. Sed non verisimile est, ut Hauptius opss. v. I. p. 211. sqq. recte exponit, Ciceronem iis ipsis mensibus, quibus cives atrocissime inter se saeviebant omniumque animi concitatissimi erant, tum cum nondum res ad certum eventum profectae erant, illud carmen condidisse. At ultra progresso Hauptio (l. c.) ‚mira' quodammodo ea quoque sententia esse videtur, Ciceronis epos intra proximos post Mari mortem annos, ‚inter ipsa Marianorum scelera' ortum esse. Atque etiam ex illis verbis (de legg. I. 1. 4.) ‚atqui multa quaeruntur in Mario fictane an vera sint et a nonnullis, quod et in recenti memoria et in Arpinati homine versere, veritas a te postulatur' apparere putat, carmen omnium oculos et animos in se convertisse et disceptationes excitasse, quod de carmine in adulescentia scripto factum esse vix credibile sit. Scaevolam autem illum neque pontificem neque augurem esse, sed Q. Mucium Scaevolam auguris filium. Is apud Q. Ciceronem inter amicorum cohortem a. 59. in Asia commoratus et fortasse idem est, quem Plinius ep. 5. 3. inter poetas numerat; a M. Tullio in

orationibus et in rhetoricis philosophicisque libris numquam memoratur, octies autem in epistulis. Haud ita multis igitur annis ante a. 52., quo libri de legibus orti sunt, — nam aliquantulum temporis inter duo opuscula interesse apparere ex Attici verbis ‚lucus quidem ille et haec Arpinatium quercus agnoscitur saepe a me lectus in Mario' (de legg. I. 1. 1.) — carmen compositum esse Hauptius iudicat. fortasse recte conicere Corradum (l. c. p. 296. = p. 262. Ern.) annum 56., postquam Cicero ex exsilio Romam redierit. Corradus enim existimat, hoc carmen Ciceronem significare, cum scribat a. 56. ad Att. IV. 5. 1. sq. ‚ain tu? an me existimas ab ullo malle mea legi probarique quam a te? cur igitur cuiquam misi prius? Urgebar ab eo, ad quem misi, et non habebam exemplar. Quid? etiam — dudum enim circumrodo, quod devorandum est — subturpicula mihi videtur esse παλινῳδία . . . .' Sed etiamsi carmen in celebrandum Marium compositum a. 56., quo ab optimatibus ad Caesaris partes transibat Cicero, παλινῳδία quodammodo appellari poterat, tamen vix tam turpis παλινῳδία erat, ut illum puderet eam ad Atticum familiarissimum mittere. Apertior et gravior et ad Caesarem ipsum relata revocatio fuisse videtur (cf. ibid. ‚dices, ea te monuisse, suasisse, quae facerem, non etiam ut scriberem e. q. s.' ibid. ‚sed tamen modici fuimus ὑποθέσει, ut scripsi. Erimus uberiores, si et ille libenter accipiet').

Neque etiam illae causae, quibus Hauptius commotus Marium ad posteriorem Ciceronis aetatem revocat, omnino stabiles esse mihi videntur. Nam etiamsi non verisimile est inter ipsum Mari saevum imperium carmen ortum esse, tamen meo quidem iudicio fieri potuit, ut intra proximos annos scriberetur. Mario enim mortuo et eius satellitum minimum quattuor milibus a Sertorio concisis inter tres continuos Cinnae consulatus

pax quodammodo restituta et memoria scelerum anni 87. aliquanta e parte exstincta est (cf. Mommsen. Histor. Rom. [5] v. II. p. 320.). Praeterea, ut notum est, publica multorum caedes facilius quam privata singulorum occisio ignoscitur. Neque etiam offendendum esse mihi videtur, quod in illo prooemio Cicero ad poema iam in adulescentia conscriptum recurrit: nam cum eius argumentum e Romanorum ipsorum rebus depromptum de viro excellentissimo ageret, fieri non potuit, quin diutius in Romanorum animis et memoria haereret, neque mirandum est, quod posteriore etiam tempore circa a. 52. Ciceronis adversarii, id quod initium librorum de legibus docet, carmen illud adhibebant, ut de eius auctoritate et gloria detraherent. Id quoque monendum est, quod Cicero ipse semel atque iterum in scriptis suis ad Aratea recurrit, quae haud ita magni aestimanda ipsa quoque in adulescentia conversa sunt. Accedit quod Cicero adulescens et post usque ad consulatum populari causae studebat, quippe qui non ignoraret, se, cum ignobili loco natus esset, honores in re publica non nisi populo adiuvante, qui magistratus crearet, consecuturum esse. Praeterea erat popularis propinquusque Mari, et quanta admiratione victoris Cimbrorum patriaeque conservatoris totam per vitam imbutus fuerit, permulti loci ex scriptis eius testimonio sunt. Atque etiam errores illi Mari et casus mirifici imprimis adulescentis ingenium oblectasse et ad versus faciendos allexisse iudicandi sunt. Deinde si carmen inter a. 56. et 52. conscriptum est, suspicio quodammodo movetur, quod eius in epistulis permultis ex illis annis in tribus earum corporibus exstantibus nusquam mentio fit. Nec vero scio an in prooemio illo librorum de legibus Cicero ipse leviter significet Marium se adulescentem composuisse, cf. I. 1. 4. ‚sed tamen nonnulli isti, Tite noster, faciunt imperite, qui in isto

periculo non ut a poeta, sed ut a teste veritatem exigant'. Bakius quidem (l. c.) voce ‚periculo' offensus mavult legere ‚in isto miraculo': iudicat enim, verba statim insequentia ‚nec dubito quin idem et cum Egeria collocutum Numam et ab aquila Tarquinio apicem impositum putent' satis ostendere, Ciceronem Attico respondentem non de toto carmine, sed de uno illo augurio dicere. Sed hoc non rectum esse mihi videtur. Atticus enim profectus ab illo augurio ad extremum dicit, nonnullorum sententia non augurium modo, sed multa alia quoque in Mario ficta videri. Necesse igitur est, Ciceronem respondentem contra illud generale quoque crimen se defendere, id quod facit enuntiato illo ipso, in quo voce ‚periculo' totum carmen significat. Tum demum verbis ‚nec dubito quin . . . .' recurrit ad illud singulare de augurio crimen, unde tota disceptatio profecta est.

Wyttenbachius eadem ut videtur causa atque Bakius commotus iam prius pro ‚periculo' proposuerat ‚versiculo', quod etiam magis quam illud ‚miraculo' displicet. Alii, ut totum carmen illo enuntiato significaretur, nonnullorum deteriorum codicum scripturam ‚opusculo' in textu posuerunt. At ‚periculo' omni modo sententiae satisfacere mihi videtur. ‚Periculum' (ab eadem stirpe ductum atque, periclitor' ‚experior', ‚experimentum' ‚Graecum ‚πειρᾶν' cf. Ascon. in divin. in Caecil. 8. 27. ‚periculum ἀπὸ τῆς πείρας, tentamentum') ut vox ‚experimentum' actionem ipsam conandi indicat et saepius ita cum verbo faciendi coniunctum usurpatur. (‚Versuch machen') cf. Terent. Cic. Caes. Quam vim haec vox de legg. I. 1. 4. quoque habet, sed ita, ut non actionem ipsam significet, sed id quod periclitandi causa ortum est, ut nostrum quoque ‚Versuch' has duas partes agit (cf. ‚munitio', ‚substructio' etc.). De illo autem carmine ‚periculi' vocabulum dictum indicium mihi esse videtur,

praesertim pronomine ‚isto' adiecto, illum ipsum poema adulescentiae suae attribuere. Nam meo quidem sensu maturiore aetate si Marium scripsisset, neque periculum nondum elaboratum in volgus edidisset, neque, si perpolitum limitatumque divolgasset, appellasset periculum. Aliter autem, ut mihi videtur, res se habet, quod de carmine in adulescentia orto vocabulo periculi utitur. Itaque ego quidem ad sententiam inclino, carmen ab adulescente Cicerone conditum esse.

Quo autem anno scripserit, accuratius diiudicari non potest, sed generaliter, ut mihi videtur, si modo scripsit adulescens, spatium inter a. 86. et 83., i. e. inter Mari mortem et Sullae ex bello Mithridatico reditum statui potest. Post enim reditum inter consulatum dictaturamque eius vix Cicero Marium carmine celebrasse putandus est, ut iam Corradus (l. c. p. 289. = Ern. p. 256.) recte iudicat. Nam etsi concedendum est, Ciceronem post Sullae reditum libertate animi quadam usum esse, ut apparet ex causis pro Sex. Roscio Amerino et pro Arretina quadam muliere (cf. pro Caecina 33.97.) actis, tamen versibus in adversarium vehementissimum compositis Sullam acrius provocaret necesse erat, quam ut non grave periculum subiret, quod eum non facturum fuisse arbitror. A. 86—83. autem, dum Sulla abest in Graecia, multo minus metuendum erat. Nam spes erat, bellum Mithridaticum gravissimum periculosissimumque futurum esse et fortasse Sullam, ut tres illos priores duces, Oppium, Cassium, Aquilium oppressum iri. Parvo enim cum exercitu in Graeciam transierat, Mithridates autem ingentibus copiis Graeciam obtinebat, et Athenae multos per menses obsessae ostendebant, Romanos hostibus vix pares esse. Neque etiam Sulla, donec aberat, ullo modo discordiarum inter optimates et populares intercedentium particeps factus est. Ita igitur

Ciceroni nullo graviore periculo instante inter a. 86. et 83. carmine Marium nobilitare licuit.

Scaevolam autem illum puto esse augurem. Drumannus quidem quattuor locis (l. c. v. V. p. 221; 225; 226; v. VI. p. 351.) eum iam a. 87. mortuum esse dicit, sed nullo quattuor locorum testimonium affertur et vix a quoquam afferri potest. Extremus nuntius, quem de augure accipimus, ad a. 88. spectat, ex eodemque illo nuntio id quoque apparet, illum maxime Mari partibus favisse: eo enim anno vehementissime in senatu repugnavit, quin Marius hostis iudicaretur; cf. Valer. Maxim. III. 8. 5. ‚Ceterum ut neminem ei praetulerim, ita Q. Mucium Scaevolam augurem merito comparaverim. Dispulsis prostratisque inimicorum partibus Sulla occupata urbe senatum armatus coegerat ac summa cupiditate ferebatur, ut C. Marius quam celerrime hostis iudicaretur. Cuius voluntati nullo obviam ire audente solus Scaevola de hac re interrogatus sententiam dicere noluit. Quin etiam truculentius sibi instanti Sullae ‚licet, inquit, mihi agmina militum, quibus curiam circumsedisti, ostentes, licet mortem identidem miniteris, numquam tamen efficies, ut propter exiguum senilemque sanguinem meum Marium, a quo urbs et Italia conservata est, hostem iudicem.‘ Quo anno Scaevola priores octavi vitae decennii annos ingressus erat. Nam natus est fere a. 160, ut patet e libro de republica I. 12. 18: anno enim 129., quo ille dialogus factus esse fingitur, ‚iam aetate quaestorius‘ i. e. fere triginta annos natus erat. Nec vero quidquam obstat, quin putemus, augurem, quamquam iam a. 88. debilis senex erat, tamen complures etiam annos vixisse, ita ut tum etiam, cum Cicero carmen illud scripsit, inter vivos esset.

Quibus omnibus de causis mihi quidem haud ita incredibile esse videtur, ‚Marium‘ a Cicerone etiam in

adulescentia in eaque inter a. 86—83., i. e. inter Mari mortem et Sullae ex Graecia reditum compositum esse.

Carmina quae adhuc tractavi, sive quod ad Graecorum exempla recurrunt sive quod apud Ciceronem ipsum indicia quo tempore sint confecta inveniuntur, eius adulescentiae attribui. Venimus nunc ad carmina posteriore eius aetate post reditum ex Graecia Asiaque condita.

Carmina posteriore aetate a Cicerone composita.

Ac primum quidem de carmine quod inscriptum erat ‚Limon' agere mihi liceat. Cuius poematis nullum nisi unum testimonium occurrit apud Suetonium in vita Terenti 5., ubi haec leguntur: ‚Cicero in Limone hactenus laudat:

Limon.

‚Tu quoque qui solus lecto sermone, Terenti,
conversum expressumque Latina voce Menandrum
in medium nobis sedatis motibus affers,
quiddam come loquens atque omnia dulcia miscens.'

Nonnulli nomen ‚Limon' mutant. Velut Andr. Schottius (‚nodi Cicer.' l. III. c. 10 p. 352.) mavult legere ‚in Libone', ita ut carmen ad Terentium Libonem quendam Fregellanum spectet, Ungerus (‚subsicivorum capita tria' Brandenb. Nov. 1854. p. 3.) proponit ‚in Lino.' Sed omnino non mutandum est. ‚Limon' saepius libros inscriptos fuisse testantur Plinius (N. H. praef. § 24.) et Gellius (N. A. praef. § 6.), qui ibidem multa alia similia et Graeca et Latina nomina afferunt. Praeterea Pamphilus grammaticus Alexandrinus (cf. Suidas s. v. *Πάμφιλος*) opus illo titulo praefixo conscripsit. A Romanis nomen illud receptum ad verbum voce ‚prati' redditum est, cf. Gell. l. c., et Suetonium notum est maius quoddam opus ita inscripsisse. Ut ex vi verbi, *λειμών*' vel, pratum' coniciendum est, talium librorum argumentum diversi et varii generis erat (cf. Suid. l. c. de Pamphili libro: ‚*ἔστι δὲ ποικίλων περιοχή*'). Neque improbabile est,

quod Tanaquil Faber suspicatus est, Ciceronis carmen illud epigrammata in viros excellentes complexum esse.

Num Caesari in illis versibus in Terentium compositis, quos Suetonius l. c. ponit:

,Tu quoque, tu in summis, o dimidiate Menander e. q. s.'

Ciceronis versus, ut Nobbius l. c. (p. 1047.) vult, ante oculos obversati sint, valde dubium est. Verisimilius autem est, Ausonium in Protreptico, ut idem vir doctus (l. c.) putat, Ciceronianorum versuum recordatum esse, cum simili exordio usus de eodem poeta dicit:

,Tu quoque, qui Latium lecto sermone, Terenti,
comis et adstrictus percurris pulpita socco,
ad nova vix memorem diverbia coge senectam.'

Non praetermittam, Reifferscheidium dubitantem, num M. Tullius Limonem scripserit, causa non allata, Quinto fratri carmen addicere malle (cf. Sueton. rell. ed. Reiffersch. p. 426. adn., ibid. in indice p. 560. s. v. Q. Cicero). Sed mihi haec ratio dubitandi non probabilis esse videtur. Eodem iure in omnibus ceteris M. Tulli carminibus, quae ab eo composita esse non apud ipsum testimonia occurrunt, sed praenomine non adiecto apud alios scriptores, dubitare licet, num Marcus carminum sit auctor: meo quidem iudicio omnibus locis, ubi Cicero praenomine omisso appellatur, is Cicero intelligendus est, qui est in litteris Romanis ut ita dicam Cicero *κατ' ἐξοχήν*. Si res aliter se haberet, Suetonius et ceteri, ne legentes errarent, certe praenomen addidissent. Nec vero mirum esse potest, quod Cicero versus in Terentium fecit: nam quanti eum aestimaverit, vel inde apparet, quod fere tricies ex eo versus in scriptis suis affert.

Quo tempore Limon scriptus sit, statui non potest. Fortasse etiam adulescens Cicero composuit, ut Middle-

tonius („the history of the life of M. Tullius Cicero.‘ [2] Basil. 1790. v. I. p. 16.) et Heusdius (l. c. p. 49.) volunt. Sed argumenti ratione habita nescio an maturiore aetate sit ortus. Fortasse — sed nil nisi suspicio est argumentis non firmanda — carmen illud epigrammata imaginibus excellentium virorum apposita continuit, quibus Cicero Amaltheum in praedio Arpinati circa a. 60. constitutum Attici exemplum secutus ornasse videtur (cf. ad. Att. I. 16. 15; II. 1. 11.; II. 7. 5.).

Praeterea posterioribus annis Musa suis ipsius rationibus consiliisque obnoxia facta duobus carminibus res suas ipsius celebravit. Ac primum de illo carmine dicendum est, quo consulatum suum descripsit.

Anno 63. circumacto Cicero, ut erat plenus ambitionis gloriaeque avidus, summa cupiditate incensus erat, ut splendor consulatus sui, quem Curio ἀποθέωσιν vocabat (cf. ad Att. I. 16. 13.), quo nihil magnificentius apud homines esse ipse profitetur (cf. ad Att. I. 19. 10.), ad immortalitatis memoriam consecraretur. Quod ut assequeretur, ab amicis ut de rebus a se in consulatu gestis scriberent petivit, sed a plerisque frustra, ut videtur. Archias, poeta amicus, promisit quidem, carmen se conditurum esse, idque inchoavit (cf. pro Archia 11. 28; 12. 31.), finivisse autem non videtur (cf. ad Att. I. 16. 15. „. . . . cum Archias nihil de me scripserit‘).* Neque etiam Chilius poeta desiderio Ciceronis satisfecit (cf. ad Att. I. 16. 15.). Epigrammata illa, quae Atticus in illustres viros, inter eos in Ciceronem, composuerat ad ornandum Amaltheum (cf. ad Att. I. 16. 15.), gloriam De consulatu meo.

*) Heusdius (l. c. p. 53.) iudicat, Archiam detrectato primum opere exorari se tandem passum esse, sed non assentiendum est; nam epistula ad. Att. I. 16. a. 61. (cf. epp. Cicer. sel. ed. Fr. Hofmann. [3] Berol. 1879 v. I. p. 29. adn. ad ep. ad Att. I. 16.) scripta est post orationem pro Archia a. 62. habitam.

non satis in orbe terrarum divolgare potuerunt. Quibus de causis ipse cupiditatem laudis gloriaeque, quas summam mercedem laborum periculorumque omnium esse existimabat (cf. pro Archia 11. 28.), satiare constituit idque vario modo. Primum enim fere initio anni 60. commentarium de consulatu suo lingua Graeca conscripsit et volgavit (cf. ad Att. I. 19. 10.; quae epistula a. 60. Id. Mart., ut sub finem adscriptum, missa est; ad Att. I. 20. 6; II. 1. 1; Plut. Crass. c. 13; Caes. c. 8; Cass. Dio 46. 21. 4.). Deinde eodem illo anno 60. in Latino commentario componendo occupatus erat (cf. ad Att. I. 19. 10.), sed aut non confecisse aut non edidisse videtur; nullum enim testimonium de eo alibi occurrit, neque etiam meo quidem sensu, si eum illo tempore publici iuris fecisset, a. 56. in epistula ad Lucceium (ad fam. V. 12. 8.) scribere potuit: ‚cogar fortasse facere, quod nonnulli saepe reprehendunt: scribam ipse de me, multorum tamen exemplo et clarorum virorum (sc. commentarium Latinum, de quo tota illa epistula est).‘ (cf. epp. Cic. sel. ed. Fr. Hofmann v. I. p. 101. adn. ad ep. ad fam. V. 12. 8.).

Praeterea versibus iisque hexametris, ut fragmenta ostendunt, consulatum illustravit. Confectum est hoc carmen a. 60. post mensem Martium. In epistula enim ad Att. I. 19. Id. Mart. scripta § 10. indicat poema se conditurum esse, in epistula autem ad Att. II. 3. brevi ante mensem Januarium anni 59. missa (cf. § 3. ‚venio nunc ad mensem Januarium e. q. s.‘) iam nonnulli versus afferuntur (§ 3), quos illi poemati, etsi non apertius significatur, attribuendos esse apparet, qua de re omnes viri docti inter se consentiunt. Unde Baehrius autem (hist. litter. Rom. v. I. p. 438.) concludat, versus initio Graeca, post autem Latina lingua compositos esse, perspicere non possum: ipse testimonium non ponit.

Inscriptum erat carmen ,de consulatu meo' vel similiter. Errat Leutschius (Zeitschr. f. d. Altertumswissensch. 1834. p. 161. adn. 16.), cum negat, tale nomen usquam inveniri. Quintus enim frater de div. I. 11. 17., cum versus affert, disertis verbis utitur ,in secundo de consulatu'; praeterea Nonius, cum nonnullos versus ponit, dicit: ,Cicero in consulatu suo' (p. 202. 22.) et ,idem consulatus sui lib. II.' (p. 204. 8.).

Divisum fuisse videtur poema in libros tres. Aperto quidem testimonio non affirmatur, apte autem totum carmen finire mihi videtur conclusio tertii libri, quam Cicero ipse in epistula ad Att. II. 3. 3. affert: ,me *κατακλεὶς**) mea illa commovet, quae est in libro tertio

,interea cursus quos prima a parte iuventae
quosque adeo consul virtute animoque petisti,
hos retine atque auge famam laudesque bonorum.'

Praeterea tres libri consulatus apte respondent tribus libris poematis ,de temporibus meis' inscripti, de quo infra dicendum erit.

Exstant haud ita multa fragmenta aliique loci ad hoc carmen spectantes, ita ut de dispositione rerum pauca tantum conicere possimus. Initio primi libri illud omen consulatus futuri narratum esse videtur, quod factum est Terentiae auctore Servio ad Verg. Ecl. VIII. 106: ,sponte sua / sine igne subito ex ipsis cineribus flamma emersit. Hoc uxori Ciceronis dicitur contigisse: cum post peractum sacrificium libare vellet in cinerem, ex ipso cinere flamma surrexit, quae flamma eodem anno consulem futurum ostendit eius maritum, sicut Cicero in suo testatur poemate.' — Deinde in libro primo finxisse

*) *καταχλείς* probabiliter emendavit Turnebus. Codd. habent *καταχρεσις* vel *κατασις*; similiter corruptum est *καταχλείς* ad Att. IX. 18. 3. in *καταχις*.

Cicero videtur se in concilium deorum advocari, ubi Juppiter ei ostendebat, quanta pericula patriae instarent, et Minerva, quibus artibus patriam servare posset. cf. Sallust. in M. Tullium invect. II. 3. ....Cicero se dicit in concilio deorum immortalium fuisse, inde missum huic urbi civibusque custodem.' ibid. IV. 7. ,sed quid ego plura de tua insolentia commemorem? Quem Minerva omnis artis edocuit. Iuppiter optimus maximus in concilium deorum admisit.' Quintilianus inst. orat. XI. 1. 24. ,non desierunt carpere maligni

,cedant arma togae, concedat laurea linguae'

et

,o fortunatam natam me consule Romam'

et Iovem illum, a quo in concilium deorum advocatur, et Minervam, quae artes eum docuit.' In Iove et Minerva tali modo adhibendis poeta imitatus est quaedam exempla Graeca testimonio Quintiliani, qui l. c. pergit ,quae sibi ille secutus quaedam Graecorum exempla permiserat.' Manifestum est hoc referendum esse ad Iovem et Minervam, non recte Heusdius (l. c. p. 55.) his verbis nixus totum carmen ad Graecorum exemplum conditum esse iudicat. Quos autem scriptores Graecos Cicero imitatus sit, statui non potest. At Baehrius (Heidelb. Jahrb. der Litterat. 1847. p. 355.) existimat, illa Quintiliani de Iove et Minerva verba, quod in iis vestigia hexametrorum inveniri non possint, ea de causa ex aliis carminibus deprompta esse. Sed cuius alius generis versus in loco illo lateant et cui ali carmini delegandi sint, vir doctus non dicit vixque quisquam dicat. Meo quidem iudicio aptissime illa verba ad idem de consulatu carmen revocantur. Soluta autem oratione usus est Quintilianus, non vincta, ut brevi ante, quod illae duae in Olympo res, ut manifestum est, compluribus versibus continebantur verebaturque, ne longus esset: antea singulos tantum

versus attulerat.*) Ceterum ei hoc loco ante oculos versata esse mihi videntur illa ex invect. Sallust. in Cic. (IV. 7.), quae supra posita sunt: nam non solum eaedem res, sed etiam paene eadem verba occurrunt. Declamationem autem illam a Quintiliano habitam esse Sallustianam apparet ex inst. orat. IV. 1. 68; IX. 3. 89.

Secundo in libro Urania Musa (cf. de div. I. 11. 17—13. 22; ibid. II. 20. 45; Lactant. instit. divin. III. 17. 12. sqq.) longiore oratione, quae praecipue initio condita erat philosophica sapientia, Ciceronem admonuit, prodigia, quae atrocitates a. 63. futuras indicassent, exitum habuisse. Falso, ut ex ipsis versibus patet, arbitratur Heusdius (l. c. p. 54. sq.), Uraniam explicasse, quibus prodigiis res futurae nuntiarentur, non res factae nuntiatae essent.

In tertio libro ibique in exitu, ut verisimile est (cf. supra p. 31.), Calliope Ciceronem hortata est (cf. ad. Att. II. 3. 8.), ut eadem via, quam iam ab adulescentia initam in consulatu progessus esset, cetera quoque aetate usque ad vitae finem pergeret.

Qui loci praeterea mea quidem sententia ad hoc carmen spectent, cum viri docti de nonnullis, quo revocandi sint, inter se discedant, breviter enumerare mihi liceat.

Non. p. 202. 22. ‚census‘, generis masculini, neutri Cicero in consulatu suo:

‚quorum luxuries † fortunata**) censa peperit.‘

Non. p. 204. 8. ‚Idem consulatus sui lib. II.

‚atque animo pendens † noctu ***) eventa timebat.‘

---

*) idem respondendum est Spaldingio, qui (ed. Quintil. ad l. c.) miratur, cur Quintilianus, postquam brevi ante duos versus ad verbum posuerit, subito prosa versuum argumentum reddat.

**) Quicheratius: ‚fortunam et censa peredit.‘

***) Iunius: ‚nocturna‘.

Cic. in Pison. 29. 72. sqq; de off. I. 22. 77; Pseudosall. in Cic. 3. 6; Quintil. XI. 1. 24:

,cedant arma togae, concedat laurea laudi'[vel ,linguae'*].

Philipp. II. 8. 20; Pseudocic. in Sall. 2. 7; Serv. ad Verg. Aen. I. 1. initium versus eiusdem:

,cedant arma togae.'

Ad eundum versum spectatur Cic. ep. ad fam. XII. 13. 1. (,est enim tua toga omnium armis felicior') et Plut. comp. Dem. et Cic. 2. (,ὡς τὰ ὅπλα ἔδει τῇ τηβέννῳ καὶ τῇ γλώττῃ τὴν θριαμβικὴν ὑπείκειν δάφνην').

Tantulum quamquam servatum est, tamen satis claret, Ciceronem omni magnificentia omnique splendore res perfudisse seque ipsum potius heroa inter deos quam inter homines consulem finxisse. Quae arrogantia fieri non potuit, quin vehementer offenderet, imprimis autem et ab aequalibus, ut a Pisone et Antonio, et posterioribus temporibus ei versus ille

,cedant arma togae, concedat laurea laudi'

opprobrio dabatur, quo gloriabatur se non vi aut armis, sed bona cum pace coniurationem exstinxisse. Quippe omnium memoria tenebatur, eum ferro idque omnino contra legem quinque illos coniuratos, qui in carcerem coniecti erant, a vita removisse. Cicero ipse non minus quam ter quod illo versu dixerat in scriptis suis tueri conatus est, cf. in Pis. 29. 72. sqq; Philipp. II. 8. 20; de off. I. 22. 77. Praeterea in controversia in Sallustium 2. 7. illum versum defendens fingitur.

De temporibus meis.

Denuo ut versus de se ipse Cicero faceret, causa erat exsilium reditusque. Anno enim 57. Romam revocatus summopere optabat, ut huic quoque aetatis

*) Cic. in Pis. 30. 74 omnes codd., de off. I. 22. 77. meliores codd. habent ,laudi.' — Pseudosall. in Cic. 3. 6., Quintil. XI. 1. 24. (Plut. comp. Dem. et Cic. 2.) ,linguae', cf. Heusinger. ed. Cic. de off. ad l. c.

suae spatio monumentum statueretur, sive ut amicorum qui reditum effecerant merita celebrarentur, sive ut ipse a calumniis inimicorum purgaretur, sive ut splendor reditus a Brundisio per Italiam usque in Urbem nobilitaretur. Iam a. 56. Lucceium historicum longiore epistula (ad. fam. V. 12.), quae tota de hac re est et quam ipse ad Att. IV. 6. 4. ‚valde bellam' esse scribit, blande quodammodo adiit, ut singulari libello tempus ab initio coniurationis Catilinariae usque ad reditum ex exsilio describeret (cf. § 2; § 4.) idque ita, ut amori plusculum quam concederet veritas largiretur (cf. § 3.), id quod plane ingenium Ciceronis declarat. Ipse quidem opprobriis commotus, quae editis commentario Graeco et poemate de consulatu in eum coniciebantur, dubitasse videtur de se scribere: minorem esse fidem et auctoritatem expertus erat (cf. § 8.). Lucceius quamquam promisit se voluntati amici obsecuturum esse (cf. ad Att. IV. 6. 4; 9. 2; 11. 2.), tamen librum scripsisse non videtur. Ita evenit ut Cicero, ut iam a. 60., tunc rursus quod alii ei gratum facere nolebant ipse facere cogeretur, narravitque exsilium reditumque versibus.

Inscriptum erat carmen, quod ipsum quoque ut illud de consulatu tres libros continebat (cf. ad fam. I. 9. 23.), ‚de temporibus meis' vel similiter (cf. ad fam. I. 9. 23.). Tempora hic intelligenda sunt tempora miseriarum calamitatumque, i. e. exsilium (reditusque). Similiter posita est vox a Cicerone pro Sest. 58. 123; ad fam. I. 6. 2. Facile autem intellectu est, lene illud et parcum nomen Ciceroni magis placuisse quam exsilii vel aliud eiusmodi nomen gravius et acerbius.

At haud ita pauci viri docti ut G. I. Vossius, Fabricius, Middletonius, Spaldingius, Handius, Orellius, Nobbius, Leutschius, Baiterus & Kayserus, C. F. W. Muellerus iudicant hoc carmen idem esse atque illud de

consulatu suo. Alii ut Paul. Manutius, Andr. Fabricius, Tunstallus, Drumannus, Heusdius, Suringarius, Baehrius, Teuffelius arbitrantur duo carmina intelligenda esse.

Proficiscendum est in hac quaestione ex epistula Ciceronis a. 54. ad Lentulum missa, qui praeerat Ciliciae provinciae a. 56—54., (ad fam. I. 9.); ibi scribit (§ 23.) haec: ‚Quod rogas, ut mea tibi scripta mittam, quae post discessum tuum scripserim: sunt orationes quaedam.... Scripsi etiam versibus tres libros de temporibus meis, quos iam pridem ad te misissem, si esse edendos putassem: sunt enim testes et erunt sempiterni meritorum erga me tuorum meaeque pietatis: — sed quia verebar, non eos, qui se laesos arbitrarentur (etenim id feci parce et molliter), sed eos, quos erat infinitum bene de me meritos omnes nominare. Quos tamen ipsos libros, si quem, cui recte committam, invenero, curabo ad te perferendos.‘ G. I. Vossius quidem cum sciret illud de consulatu carmen iam a. 60. compositum, epistulam autem ad fam. I. 9. a. 54. scriptam esse, putat (‚de historic. Latin.‘ Lugd. Bat. 1651. p. 51. sqq.) carmen de consulatu iam ante exsilium conditum, sed non editum esse; post reditum autem vel potius post Lentuli discessum revocatum esse ad incudem, ita ut novum posset videri. Orellius Ciceronem carmen ‚de temporibus meis‘, non ‚de consulatu meo‘ illa in epistula ea de causa vocasse arbitratur, quod fuisset tum animo demisso nec coram Lentulo glorioso illo ‚consulatus‘ nomine uti voluisset: modestum et generale ‚temporum‘ vocabulum eum praetulisse. Sed Vossius et Orellius et omnes ceteri viri qui eorum sententiam sequuntur non recte iudicare mihi videntur. De retractato carmine iam antea condito, quae est sententia Vossi, cogitari non potest. Si enim retractasset, certe dixisset Cicero non ‚scripsi etiam‘, sed ‚retractavi etiam‘. Neque etiam intelligi potest, cur

carmen de consulatu a. 60. finitum, ut Vossius vult, nondum ediderit, sed contra putandus est, ut erat gloriae sitiens, statim postquam confecit publici iuris fecisse. Certe iam a. 55., i. e. ante illam epistulam carmen inter Romanos divolgatum erat: nam illo anno in oratione in Pisonem 29. 72. sqq. defendit versum ab inimicis irrisum ‚cedant arma togae, concedat laurea laudi', qui sine ullo dubio et omnium virorum doctorum cum consensu illi carmini attribuendus est. Neque etiam rectum esse mihi videtur, quod Orellius putat Ciceronem in illa epistula demisso animo modesto nomine ‚de temporibus meis' usum esse. Non apparet, cur tam afflicto et fracto animo fuerit, cum apud Caesarem et Pompeium, qui illo tempore in re publica primas partes agebant, summa gratia uteretur. Praeterea ex illa epistula satis claret in carmine exsilium reditumque tractata fuisse, ita ut nomen ‚de consulatu' ineptum esset. Nec vero minus displicet, quod Nobbius velle videtur, Ciceronem in retractato priore de consulatu carmine et consulatum et exsilium reditumque enarrasse (l. c. p. 1051.): nam vix credibile est, eum, postquam ante minimum tribus libris de anno 63. egit, postea totum temporis spatium ab a. 63. usque ad a. 57. item in tres libros compressisse ac coartasse. Quibus de causis persuasum habeo duo inter se diversa carmina statuenda esse. Repugnat sententiae nostrae nullum testimonium nisi adnotatio scholiastae Bobiensis ad orat. pro Planc. 30. 74. Ibi Cicero dicit Plancio, quod meritus esset de reditu ex exsilio, gratias se egisse et in oratione post reditum in senatu habita et in carmine. Nam carmen eum in animo habere patet inde, quod dicit ‚nolo cetera, quae a me mandata sunt litteris, recitare: praetermitto, ne aut proferre videar ad tempus aut eo genere uti litterarum, quod meis studiis aptius quam consuetudini iudiciorum esse videtur.' Id

scholiastes quoque recte adnotat, carmen his verbis significari, errat autem, ut ex iis quae supra exposui apparet, quod existimat carmen ‚de consulatu' intelligendum esse.*) Cui adnotationi non nimis multum attribuendum est neque nostra illa sententia de duobus diversis carminibus labefactatur. Nam notum est, scholia Bobiensia saeculo quarto aut quinto composita, etiamsi e parte ad Asconium Pedianum recurrere videntur, tamen saepius falsa et perversa praebere.

Finiverat Cicero carmen de exsilio redituque iam a. 55., sed dubitabat in publicum edere (cf. ad Att. IV. 8b. 3. (a. 55.) ‚de poemate quod quaeris, quid si cupiat effugere? quid? sinas?', cf. ad fam. I. 9. 23. ‚libros de temporibus meis, quos iam pridem ad te misissem, si esse edendos putassem'). Causam esse scribit (ad fam. I. 9. 23.), non quod inimicos timeret, quos parce tantum et molliter insectatus esset, sed quod vereretur, ut omnes, qui de reditu meriti essent, quorum numerus esset infinitus, satis in carmine nobilitasset. Vera causa nescio an fuerit, quod res publicae tum etiam nimis fluctuantes ei esse videbantur, quam ut sine ullo periculo illud poema edi posse putaret. Quinto tantum fratri clam iam a. 55. miserat: huc enim aptissime arbitror revocari illa ex ep. ad Q. fr. II. 9. 1. (a. 55.) ‚placiturum tibi esse librum meum suspicabar: tam valde placuisse quam scribis valde gaudeo e. q. s.' A. 54. autem poema iuris publici factum esse videtur. Iam in illa epistula ad Lentulum (a. 54.) promisit, se carmen prima quaque occasione data ei missurum esse. Eodem anno Caesar,

*) Scholiastae verba sunt: ‚suffecerat enim de ea oratione dixisse, qua vel senatui vel populo gratias egit. Nunc autem et de versibus suis facere mentionem videtur, quos intempestivum sit in iudiciali dissertatione recitare. Non potuit tamen in totum de iis tacere. Nam de consulatu suo scripsit poetico metro.'

qui tum erat in Britannia, legisse ac comprobasse videtur, cf. ad Q. fr. II. 15. 2. (a. 54.) ‚quoniam scribis poema ab eo (sc. Caesare) nostrum probari‘, ad Q. fr. II. 16. 5. (a. 54.) ‚sed heus tu, celari videor a te. Quomodonam, mi frater, de nostris versibus Caesar? nam primum librum se legisse scripsit ad me ante.‘ Drumannus (l. c. v. II. p. 335; v. III. p. 322.) negat, hoc loco illud carmen intelligendum esse, quod Caesari minime inter omnes mittere ausurus fuisset, sed aliud quoddam poema. Sed praeterquam quod Cicero in carmine illo inimicos, ut ipse testatur (cf. ad fam. I. 9. 23.), moderate et leniter tractavit. eum in Caesarem invectum esse arbitrari non necesse est. Jam reditus ex exsilio a. 57. approbante Caesare, etsi erat auctor praecipuus Pompeius, factus erat (cf. de provinc. consul. 18. 43; in Pis. 32. 80.). Discidiis, quae post reditum a Cicerone profecta erant. a 56. compositis summa familiaritas insequentibus annis inter duos intercedebat. Quae cum ita sint, non verisimile est a. 55. Ciceronem in illo carmine calumnias in Caesarem congessisse, neque quidquam obstat, quin carmen ad eum miserit. Quamquam confiteor via ac ratione argumentari me non posse, omnes illos locos, quos enumeravi, ad hoc poema esse revocandos, cum e parte sint tectae tantum significationes, sed tamen id mihi verisimillimum probabillimumque esse videtur, quod est simplicissimum. Si Drumannum secuti aliter de illis locis iudicamus, cogimur alia carmina intelligere, de quibus nullo alio loco testimonium invenitur.

Suringarius (‚de Romanis autobiographis‘ Lugd. Bat. 1846. progr. gymn. p. 27.) putat carmen de temporibus, si umquam a Cicerone in lucem editum sit, certe non volgatum esse nisi post mortem Caesaris, i. e. a. 44., cum librum quendam anecdotum (cf. ad Att. II. 6. 2; XIV. 14. 5; 17. 6; XV. 2. 2; 4. 3; 13. 3; 27. 2; XVI. 2. 6.)

eundem esse persuasum habet atque illud carmen; verisimile autem viro docto esse videtur, carmen omnino non a Cicerone ipso, sed post eius mortem publici iuris factum esse, cum huc revocet Cassi Dionis verba (39. 10.) ‚βιβλίον μέντοι τι ἀπόρρητον συνέθηκε καὶ ἐπέγραψεν αὐτῷ ὡς καὶ περὶ τῶν ἑαυτοῦ βουλευμάτων ἀπολογισμόν τινα ἔχοντι. Πολλὰ δὲ δὴ καὶ δεινὰ ἐς αὐτὸ καὶ περὶ ἐκείνων (sc. de Caesare et Crasso) καὶ περὶ ἄλλων τινῶν συνένησε καὶ διὰ τοῦτο φοβηθείς, μὴ καὶ ζῶντος αὐτοῦ ἐκφοιτήσῃ, κατεσημήνατό τε αὐτὸ καὶ παρέδωκε τῷ παιδὶ προστάξας οἱ μήτ᾽ ἀναγνῶναι μήτε δημοσιεῦσαι τὰ γεγραμμένα, πρὶν ἂν μεταλλάξῃ.‘ Sed Suringari sententia non probabilis est (cf. Baehr. Heidelb. Jahrb. der Litterat. 1847. p. 353. sqq.). Anecdotum enim illum librum (cf. ad Att. II. 6. 2.) Cicero ‚Theopompio genere aut etiam asperiore multo‘ composuit, in carmine autem de temporibus condito moderatius et parcius, ut scimus, de inimicis egit. Praeterea carmen iam a. 54. (cf. ad fam. I. 9. 23.) confectum erat, ita ut primo quoque tempore ad Lentulum mitti posset et a Caesare, ut videtur, eodem illo anno legeretur, anecdotus autem liber a. 44. (cf. ad Att. XIV. 17. 6.) nondum perpolitus erat. Atque etiam vix Cassius Dio l. c. carmen quod de exsilio redituque agebat appellare potuit librum ‚περὶ τῶν ἑαυτοῦ βουλευμάτων.‘ Hic liber igitur et ille anecdotus, qui prosa oratione conscripti idem esse et, si omnino divolgati sunt, non vivo Cicerone divolgati esse videntur, ab illo carmine secernantur necesse est.

De dispositione et explicatione rerum in carmine de temporibus etiam minus quam de consulatu cognosci potest. Hic quoque Urania inducta esse videtur et Juppiter orationem habuit, si quidem recte ad hoc carmen referimus ad Q. fr. II. 9. 1. (a. 55.) ‚placiturum tibi esse librum meum suspicabar: tam valde placuisse quam

scribis gaudeo. Quod me admones de nostra Urania*) suadesque ut meminerim Jovis orationem quae est in extremo illo libro: ego vero memini et illa omnia mihi magis scripsi quam ceteris.' Eodem spectare videntur ibid. § 2. ,si perficiunt, optime. Sin minus: ad nostrum Jovem revertemur.' Carmine jam perfecto in secundo libro Cicero episodium interponere in animo habebat, quo Apollo in consessu deorum vaticinaretur, qualis Gabini et Pisonis, invidiosorum illorum Ciceroni hominum, reditus ex provinciis futurus esset. cf. ad Q. fr. III. 1. 23. (a. 54.): ,itaque mirificum ἐμβόλιον cogito in secundum meorum librorum includere, dicentem Apollinem in concilio deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus esset, quorum alter exercitum perdidisset, alter vendidisset.' Gabinius enim, qui Syriam provinciam sortitus erat, decem milibus talentum acceptis a. 55. Ptolemaeum Auletam exercitu adiuvit inque regnum restituit, Calpurni autem Pisonis inertia atque socordia factum est, ut in Macedoniam provinciam, quae ei obtigerat, Thracum gentes se effunderent exercitumque Romanum conficerent.

Fragmenta ex carmine ,de temporibus meis' non exstant praeter unum fortasse illum versum

,o fortunatam, natam me consule Romam,'

qui non minus recte illi poemati de consulatu adscribi potest, cum nusquam in utro carmine positus fuerit significetur. In hunc versum praeter cacophoniam homoeoteleuti, quam Quintilianus inst. orat. IX. 4. 41. reprehendit, adversarii non minus quam in illum ex consulatu propter arrogantiam Ciceronis invecti sunt. Cavillatur illa verba Juvenalis X. 114. sqq. et scriptor invectivae Sall. in Cic. 3. 5., affert praeterea Diomedes

---

*) codd habent ,de non curantia.' ,nostra Urania' est vetusta correctio.

II. p. 466. 1. Cicero defendens in invectiva in Sall. 2. 7. fingitur.

Non praetermittam, C. F. W. Muellerum (ed. Cic. P. IV. v. III. p. 397.) locos illos ex epp. ad fam. I. 9. 23; ad Q. fr. II. 13. 2; II. 15. 5; schol. Bob. in orat. pro Planc. 30. 74. mire quodammodo componere cum locis, qui ad commentarium Graecum referendi sunt. Claret commentarium illum Graecum soluta oratione scriptum non idem esse posse atque illa carmina Latina de consulatu et exsilio composita.

Poema de Caesaris expeditione Britannica.

Alio carmine epico Caesaris expeditionem Britannicam Cicero illustravit. Iis enim quae inter triumviros Lucae a. 56. convenerant divolgatis, unde apparuit, eos rursus artius inter se iunctos esse. Caesaris adversarii qui ad illud tempus fuerant magna e parte studebant in gratiam cum eo redire, cum multi tum Cicero, qui etiam paulo ante mense Aprili ad senatum rettulerat, ut agrorum divisiones quas ille in Campania instituerat recenserentur. Ipse in ep. ad Att. IV. 5. 3. (a. 56.) haud ita honorificum nomen asini sibi imponit, quod ad illud tempus tam inconsulte et temerarie se gesserit. Primum testimonium se Caesaris partes sequi publice edidit oratione ‚de provinciis consularibus' mense Maio habita, qua legem illam Treboniam ut Caesari imperium in Gallia in quinque annos prorogaretur adiuvit. Fortasse hanc orationem, ut Mommsenius (hist. Rom. [5]v. III. p. 309. adn.) vult, Cicero in animo habet in ep. ad Att. IV. 5. 1. (a. 56.), quem locum iam supra (p. 22.) attuli. Non autem probabilis esse mihi videtur sententia Tunstalli, qui (ep. 102.) putat, vocabulo παλινῳδία significari carmen ad Caesarem missum. Vix enim credibile est, Ciceronem rem, quae ipsi, ut ille locus in epistula testatur, molestissima et gravissima erat, explicasse versibus. Praeterea ex ep. ad Q. fr. II. 15. 2. (a. 54.) conici

potest, Ciceronem usque ad illud tempus nondum carmen ad Caesarem misisse. His iisdem causis fortasse commotus Tunstallus inclinat magis se ad sententiam, carmen ad Pompeium, non ad Caesarem missum esse. Sed a Pompeio veniam petere non opus erat, quippe cum iam complures per annos ei cum illo summa concordia intercederet. *Παλινῳδία* autem vocabulum non necesse est, ut Tunstallus arbitrari videtur, carmen indicet, sed est etiam soluta oratione facta revocatio, ut ad Att. VII. 7. 1. ‚mihi autem nulla de eo (sc. Dionysio) *παλινῳδία* datur propter superioris epistulae testimonium.' Paulo diversam vim habet vox ad Att. II. 9. 1. ‚quarum (sc. orationum) exspecta divinam *παλινῳδίαν*', ubi est idem atque ‚retractatio.'

Notum est quam benigne revocatione facta Cicero a Caesare exceptus et quanto favore insignitus sit. Epistulae illis annis scriptae satis testimonio sunt, quanta familiaritas inter duos intercesserit, cf. exempli causa ep. ad Q. fr. III. 1. 18. (a. 54.), ubi Cicero scribit ‚ille mihi secundum te et liberos nostros ita est, ut sit paene par.' Itaque mirum videri non potest, quod Quintus frater, qui a. 54—52. legatus Caesaris in Gallia et Britannia erat et ipse quoque ab illo omni modo honorabatur, epistula quadam Marcum a. 54. hortatus est, ut illi aliquo modo memoriae beneficiorum gratae et animi erga eum pii testimonium praeberet (cf. ad Q. fr. II. 15. 2.). Qua epistula accepta Cicero, cum consentiret iam pridem Caesari officio aliquo gratiam se referre oportuisse, acrius festinando quod praetermiserat expleturus constituit carmine epico illius expeditionem Britannicam celebrare. Prius autem plenius de Britannia ut scriberet petivit a fratre, ut materiam carminis haberet idoneam.*)

*) cf. ad Q. fr. II. 15. 2., quae epistula a. 54. non ante mensem Iunium (cf. § 1.) scripta est: ‚facis tu quidem fraterne, quod me

Drumannus quidem l. c. v. III. p. 322. existimat, Ciceronem non Britannicam expeditionem, sed universas Caesaris res gestas, alio autem loco (v. VI. p. 683.) non universas res, sed Galliam subiectam illo carmine celebrasse; sed errat duobus locis, ut epistula illa docet.

At iam in eadem illa epistula*) Cicero metuit, ne tempus se deficeret id, quod vehementissime cupiebat, otiose perficere. Ac re vera eum illo ipso tempore scimus variis rebus occupatissimum fuisse. Causis dicendis paene obrutus erat idque aestate calidissima (cf. ad Q. fr. II. 16. 1; ad Att. IV. 16. 1.): nullus paene dies praeteriit, quo non patronus exsisteret (cf. ad Q. fr. III. 3. 1.). Praeterea aliis quoque libris componendis operam dedit: velut de re publica tum scribere instituerat (cf. ad Att. IV. 16. 2; ad Q. fr. III. 5. 1.). Neque etiam aequo animo ferebat, quod ipse, qui aliquando primas in civitate partes egerat, tunc fere ad nihilum venerat, nec non animo prospiciebat, rei publicae, quam ipse haud ita multo ante pernicici eripuerat, interitum appropinquare (cf. ad Q fr. III. 5. 4.); ita ut ardor ille vehemens, quo initio in Caesarem inflammatus erat, magis magisque

---

hortaris, sed mehercule currentem nunc quidem, ut omnia mea studia in istum unum conferam. Ego vero ardenti quidem studio hoc fortasse efficiam, quod saepe viatoribus cum properant evenit: ut, si serius quam voluerint forte surrexerint, properando etiam citius, quam si de nocte vigilassent, perveniant quo velint: sic ego quoniam in isto homine colendo tam indormivi diu, te mehercule saepe excitante, cursu corrigam tarditatem cum equis tum vero — quoniam scribis poema ab eo nostrum (cf. supra p. 39.) probari — quadrigis poeticis. Modo mihi date Britanniam, quam pingam coloribus tuis, penicillo meo.'

*) ad Q. fr. II. 15. 2. ‚Sed quid ago? Quod mihi tempus, Romae praesertim, ut iste me monet, manenti vacuum ostenditur? Sed videro. Fortasse enim, ut fit, vincet tuus amor omnes difficultates.'

restingueretur. Quo factum est, ut id, quod iam in ep. ad Q. fr. II. 15. 2. ne fieret metuerat, re vera accideret carmenque, postquam inchoavit, ad tempus seponeret.*) Sed cum Quintus frater Caesarem certiorem fecisset, Marcum in eum versus condere, hortante fratre Cicero ad carmen institutum, quamquam haud ita magno studio incitabatur, exeunte anno rediit**) illoque ipso anno 54., postquam sex fere ante mensibus inchoavit, confecit et ita quidem, ut ipsi haud displiceret.***) Nec vero dubitandum est, quin poema, ut primum occasio data est, ad Caesarem miserit, praesertim cum ipse eo delectaretur. Drumannus quidem (l. c. v. III. p. 322.) putat, ad illum Ciceronem mittere dubitasse, sed id iis locis, quos vir doctus affert (ad Q. fr. III. 1. 4; III. 8. 3.), non efficitur.

Huius carminis neque fragmenta exstant neque apud alios scriptores mentio fit.

A poemate ad Caesarem misso secernendi sunt versus, quos Cicero eodem illo anno 54. eadem de expeditione Britannica scripturus erat. Quintus enim frater, qui tum erat in Britannia Caesaris legatus, eius expedi-

---

*) ad Q. fr. III. 1. 11. (a. 54. fere mense Septembri) ‚poema ad Caesarem quod institueram incidi.'

**) ad Q. fr. III. 8. 3. (a. 54. fere mense Novembri. cf. § 5.) ‚quod me institutum ad illum poema iubes perficere, etsi distentus cum opera tum animo sum multo magis, tamen, quoniam ex epistula quam ad te miseram cognovit Caesar, me aliquid esse exorsum, revertar ad institutum idque perficiam his supplicationum otiosis diebus.'

***) ad Q. fr. III. 9. 6. ‚quod me hortaris ut absolvam: habeo absolutum suave, mihi quidem ut videtur, ἔπος ad Caesarem: sed locupletem tabellarium quaero, ne accidat quod Erigonae tuae, cui soli Caesare imperatore iter ex Gallia tutum non fuit.' Haec epistula haud ita multo ante anni 53. initium missa est, cf. § 3 ‚de motu temporum venientis anni . . .'

tionem celebrare constituit, ut videtur, carmine epico.*) Quod fortasse ut celerius conficeretur aut alia nescio qua de causa Quintus a Marco petivit, ut versibus faciendis se adiuvaret. Non aliter intelligendum esse mihi videtur, quam certa quadam de parte agi, quam Marcus versibus persequeretur, ut Quinti ipsius operi adiungeretur. Marcus quod frater rogabat se facturum esse promisit**); sed iisdem de causis, quibus adductus carmen ad Caesarem eodem illo tempore inciderat, factum est, ut promisso non staret. Fratre semel atque iterum urgente saepius, quod eius voluntati non satisfaceret, se excusat, cum ceteris illis causis (cf. p. 44.) adicit, in arte poetica fratri priores partes se concedere.***) Quintusne solus sine auxilio fratris carmen illud finiverit necne, a scriptoribus non traditur.

Epigrammata.

Atque etiam nonnulla epigrammata Ciceroni attribuuntur, velut a Quintiliano inst. orat. VIII. 6. 73. ‚nec pauciora sunt (sc. hyperboles) genera minuendi: ‚vix ossibus haerent‘ et quod Ciceronis est in quodam ioculari libello:

‚fundum Vetto vocat quem possit mittere funda,
ni tamen exciderit qua cava funda patet.‘

G. I. Vossius, Tollius, Burmannus (anthol. lat. tom. I. p. 493. lib. III. ep. 56.) hoc epigramma non

---

*) ad Q. fr. II. 16. 4. ‚te vero ὑπόθεσιν scribendi egregiam habere video. Quos tu situs, quas naturas rerum et locorum, quos mores, quas gentes, quas pugnas, quem vero ipsum imperatorem habes!‘ quae verba ad carmen epicum revocanda esse videntur.

**) ad Q. fr. II. 16. 4. ‚Ego te libenter, ut rogas, quibus rebus vis adiuvabo et tibi versus quos rogas γλαῦκ᾽ εἰς Ἀθήνας mittam.‘ — ad Q. fr. III. 1. 11. ‚Tibi quod rogas, quoniam ipsi fontes iam sitiunt, si quid habebo spatii, scribam.‘

***) ad Q. fr. III. 4. 4. ‚. . . . Simul et illud — sine ulla mehercule ironia loquor — tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo quam mihi‘. Cf. praeterea ad Q. fr. III. 5. 4; III 5. 7.

a Cicerone oratore conditum esse putant, sed a M. Tullio Laurea, eius liberto, quem illud poesis genus excoluisse Plinius (N. H. 31. 7.) testatur. Sed iam supra (p. 28.) diximus, eis locis, ubi praenomine non apposito Cicero affertur, oratorem intelligendum esse: neque etiam liberto illi cognomen ‚Cicero', sed nomen gentile tantum (et praenomen) sibi indere licuit.

Quod Tollius, Burmannus aliique pro ‚Vetto', quod nomen omnino ignotum est, ‚Varro' legunt putantque Ciceronem illusisse Varronis etymologiam quandam vocis ‚fundi', omni probabilitate caret. Varronis enim adhuc servata etymologia est haec (cf. Varro de l. L. ed. Andr. Spengel. 1885. lib. V. § 37.): ‚ager quod videbatur pecudum ac pecuniae esse fundamentum, ‚fundus' dictus aut, quod fundit quotquot annis multa.' Neque credibile est, alio quodam loco Varronem illam a Cicerone irrisam etymologiam docuisse, quam illis duabus servatis omnino repugnare satis patet.

Mire quodammodo nec minus iniuste Pithoeus, Tollius, Burmannus cum illo epigrammate in unum coniungunt aliud quoddam (cf. Diomed. II. p. 461. 21; Charis. IV. p. 275. 23.):

‚extractam puteo situlam qui ponit in horto,
ulterius standi non habet ipse locum.'

Praeterquam enim, quod duo epigrammata in unum coacta nusquam traduntur, prius illud dictum, ut Spaldingius recte ad Quintil. VIII. 6. 73. adnotat, vis aliquantam partem amitteret, cum insequens epigramma multo levius et mitius sit quam antecedens.

Invenit illud epigramma Ciceronianum Quintilianus ‚in quodam ioculari libello.' Num is a Cicerone ipso conscriptus sit, ex Quintiliani verbis quae minus certa sunt effici non potest. Nec vero scio an liber intelligendus sit, in quo ab alio quodam Ciceronis facete dicta

collecta erant: velut C. Trebonium et Tironem tales libros composuisse notum est. —

Obscoenum quoddam in Tironem epigramma Ciceronem condidisse Plinius ep. VII. 4. 3. tradit eiusque argumentum leviter significat: deprompsit autem ex C. Asini Galli libro ‚de comparatione patris et Ciceronis.' Ipsius verba sunt: ‚legebantur in Laurentino mihi libri Asini Galli de comparatione patris et Ciceronis. Incidit epigramma Ciceronis in Tironem suum. Dein cum meridie (erat enim aestas) dormiturus me recepissem nec obreperet somnus, coepi reputare maximos oratores hoc studii genus et in oblectationibus habuisse et in laude posuisse. Intendi animum contraque opinionem meam post longam desuetudinem perquam exiguo temporis momento id ipsum, quod me ad scribendum sollicitaverat, his versibus exaravi:

‚cum libros Galli legerem, quibus ille parenti
ausus de Cicerone dare est palmamque decusque,
lascivum inveni lusum Ciceronis et illo
spectandum ingenio, quo seria condidit et quo
humanis salibus multo varioque lepore
magnorum ostendit mentes gaudere virorum.
Nam queritur, quod fraude mala frustratus amantem
paucula cenato sibi dedita savia Tiro
tempore nocturno subtraxerit. His ego lectis
‚cur post haec, inquam, nostros celamus amores
nullumque in medium timidi damus atque fatemur
Tironisque dolos, Tironis nosse fugaces
blanditias et furta novas addentia flammas?'

Fortasse hoc et alia carmina erotica Ciceronis, quorum nihil exstat, idem Plinius in animo habet, cum de versiculis parum severis dicit (ep. V. 3. 5.): ‚sed ego verear, ne me non satis deceat, quod decuit M. Tullium, C. Calvum..........'

Illud in Tironem epigramma num re vera Ciceronianum sit adhuc nemo, quod sciam, dubitavit, sed mihi quidem valde dubitandum esse videtur. Nam eiusmodi sordes maxime discrepant ab omnibus ceteris, quae de Ciceronis natura moribusque scimus, neque ullo alio loco traduntur. Asini autem Galli testimonio non nimis multum attribuendum esse puto. In illo enim libro notum est eum id unum egisse, ut omni modo patrem nobilitaret, Ciceronem detraheret. Quot autem opprobria ibi Ciceroni data omnino commenticia et quam turpia sordidaque fuerint, inde apparet, quod Claudius imperator (cf. Sueton. Claud. 41.), ut Ciceronem defenderet purgaretque, singularem librum scripsit, et ex illis Gelli verbis patet (N. A. XVII. 1. 1—3.): ‚ut quidam fuerunt monstra hominum, quod de dis immortalibus impios falsasque opiniones prodiderunt, ita nonnulli tam prodigiosi tamque vecordes exstiterunt, in quibus sunt Gallus Asinius et Largius Licinus, cuius liber etiam fertur infando titulo Ciceromastix, ut scribere ausi sint, M. Ciceronem parum integre atque improprie atque inconsiderate locutum. Atque alia quaedam, quae reprehenderunt, neque dictu neque auditu digna sunt.‘ Quae cum ita sint, ego quidem arbitror facile fieri potuisse, ut Asinius illam sordidam inter Ciceronem et Tironem consuetudinem illudque epigramma comminisceretur vel ab aliis fictum tamquam verum in librum suum reciperet. —

In anthologia Latina (Burm. tom. I. p. 307. lib. II. ep. 128.) praeterea ad Ciceronem refertur hoc epigramma:

‚vigilantem habemus consulem Caninium;
in consulatu somnum non vidit suo.‘

Haec verba spectant ad C. Caninium Rebilum, qui Q. Fabio Maximo, consule anni 44., pridie kal. Jan. mortuo

consul suffectus per ne unum quidem diem hoc munere functus est. Complura etiam Ciceronis dicta de hoc unius diei consule exstant apud Macrobium sat. II. 3. 6; VII. 3. 10., apud Trebellium Pollionem in Mario triginta tyrannorum septimo p. 499. ed. Obr. Illud autem epigramma non a Cicerone ipso compositum esse verisimile est, sed a recentiore quodam, qui Macrobi verba (sat. II. 3. 6.) ‚dicere praeterea non destitit: vigilantem habemus consulem Caninium, qui in consulatu suo somnum non vidit' nulla voce nisi ‚suo' transposita et voce ‚qui' deleta in duos trimetros iambicos divisit. Sed Marcrobium ipsum rhythmicum verborum ordinem omnino effugisse vel inde apparet, quod eundem Ciceronis iocum sat. VII. 3. 10. his verbis reddit: ‚vigilantissimus est consul noster, qui in consulatu suo somnum non vidit.' Duobus autem locis ei ante oculos obversata esse videntur illa Ciceronis ipsius (ad fam. VII. 30. 1.) ‚ita Caninio consule scito neminem prandisse; nihil tamen eo consule mali factum est: fuit enim mirifica vigilantia qui suo toto consulatu somnum non viderit.'

Ita igitur cum res re habeat, iure iam ab Orellio illud epigramma Ciceroni abiudicatum neque a C. F. W. Muellero in editionem receptum est. Baiterus & Kayserus autem (ed Cic. v. XI. p. 137.) et nuperrime Baehrensius (fragm. poet. Rom. p. 304.) epigramma sine ulla dubitatione inter fragmenta Ciceroniana afferunt.

[…]nguli loci [e]x poetis Graecis [c]onversi.

Ut tota carmina Graeca, ita singulos quoque locos poetarum Graecorum Cicero in Latinum transtulit. Imprimis ex Homero et tribus illis tragicis convertit, praeterea alia quoque varia, ut illud Simonidis in trecentos Lacedaemonios epigramma et oraculum illud Croeso editum.

Heusdius (l. c. p. 25.) suspicatur, consilium eum iniisse, totum Homerum Latine reddere: num perfecerit, statui non posse. Unde hoc coniciat, non liquet. Sed

contra Ciceronem numquam totum Homerum, sed singulos tantum locos convertisse, apparere mihi videtur ex verbis a. 45. scriptis (de fin. V. 18. 49.) ‚nam verti ut quaedam Homeri sic . . .'

Saepius diserte aut Ciceronis ipsius aut aliorum testimonio affirmatur, versus qui occurrunt ab eo translatos esse, cf. de div. II. 30. 63; de fin. V. 18. 49; Tusc. III. 9. 18; Augustin. de civ. dei V. 8. (de locis Homericis); de fin. II. 32. 105; Tusc. III. 14. 29; de off. III. 29. 108. (de versibus Euripideis). De ceteris locis certum testimonium afferri non potest. Quorum quamquam plurimi ab eo ipso conversi putandi sunt, tamen quaedam cautio hac in re adhibenda est. Exempli causa illi quattuor versus, qui Tusc. II. 10. 23 ex Aeschyli Prometheo soluto afferuntur (‚unde ignis cluet . . . .'), non ad Ciceronem referendi sunt, sed ad Accium, a quo conversi in Philoctetam recepti erant: quos Cicero nullo verbo significat ex Accio se sumpsisse (quippe cum sperare ei liceret omnibus notum futurum esse, cuius essent), sed eodem modo ponit, quo subsequentes ex eadem illa Aeschyli tragoedia versus Latine expressos: ii autem ad eum ipsum revocandi esse videntur (cf. ibid. § 26. A: ‚unde isti versus? non enim agnosco.' M., ... videsne abundare me otio . . . . itaque postquam adamavi hanc quasi senilem declamationem, studiose equidem utor nostris poetis; sed, sicubi illi defecerunt, verti multa de Graecis, ne quo ornamento in hoc genere disputationis careret Latina oratio.')

Quo tempore singulos locos converterit, statui non potest; per totam autem vitam huic rei studuisse videtur, qua de causa his singulis versibus extremum locum in ordine poesis Ciceronianae assignavi. Nec vero improbabilis sententia est, complures, imprimis longiores locos illum iam adulescentulum Latine reddidisse, quam-

4*

quam huius rei disertum testimonium nusquam occurrit. Verba illa de div. II. 30. 63. ‚sic apud Homerum, ut nos otiosi convertimus . . .' de fin. V. 18. 49. ‚nam verti quaedam Homeri, sic . . . .' ostendunt id tantum, illos locos eum aliquanto antequam illos libros conscriberet, non autem adulescentulum convertisse. Alia post reditum ex Graecia Asiaque in vernaculam linguam transiecit, ut illa ex Aeschyli Prometheo soluto (cf. supra p. 51.). Atque etiam saepius, imprimis breviores locos eo ipso tempore, cum librum quo reciperentur scripsit, Latine expressit, ut ipse testatur, cf. Tusc. III. 14. 29. ‚licet enim, ut saepe facimus, in Latinum illa convertere;' de fin. II. 32. 105. ‚concludam, si potero, Latine;' de off. III. 21. 82. ‚versus de Phoenissis . . ., quos dicam, ut potero, incondite fortasse, sed tamen ut res possit intelligi . . .' Ceterum tamquam legem Cicero sibi praescripsisse videtur, ut omnes Graecorum locos, quos in philosophicis scriptis allaturus esset, Latine redderet, quippe cum nullus versus Graeca lingua inclusus ibi occurrat. In epistulis autem semper maiore libertate usus Graecam linguam retinet.

Saepius, ut erat singulari memoria, in convertendo Graecum exemplar non adhibuit, sed ex memoria versus transtulit, cf. de div. II. 39. 82. ‚Homericus Aiax apud Achillem querens de ferocitate Troianorum nescio quid hoc modo nuntiat;' Tusc. III. 9. 18. ‚apud Homerum Achilles queritur hoc, ut opinor, modo.' Interdum autem Ciceronem memoria destituit. Talem errorem iam memorat Gellius (N. A. XV. 6.), cuius testimonio in libro de gloria II. eo loco, ubi Il. XII. 89—91. transtulerat, praefatus erat haec: ‚apud eundem poetam Aiax cum Hectore congrediens depugnandi causa agit, ut sepeliatur, si sit forte victus, declaratque, se velle, ut suum tumulum multis etiam post saeculis praetereuntes

sic loquantur ....' Illos versus autem, ut Gellius recte monet, non Aiax, sed Hector loquitur neque tum cum ad depugnandum cum Aiace congreditur, sed cum Graecos hortatur, ut quendam ad depugnandum sibi opponerent: neque de Aiacis, sed de eius tumulo agitur, quocum Hector congressurus est: Aiacem eum esse, post demum sorte decernitur. Similiter Cicero duobus aliis ex Homero sumptis locis errat de persona loquente. Versus enim de div. II. 30. 63. allatos (= Il. II. 299—330.) non Agamemnon, sed Ulixes, et versum ibid. II. 39. 82. (= Il. IX. 236.) positum non Aiax, sed idem Ulixes apud Homerum dicit. —

Non praetermittam, quosdam versus ex Cleanthe stoico Graeco conversos, qui apud Senecam ep. 107. inveniuntur, a Burmanno (anth. Lat. tom. I. p. 605. l. III. ep. 157.) Ciceroni attribui. Seneca enim l. c. scribit: ‚et sic adloquamur Iovem, cuius gubernaculo moles ista dirigitur, quemadmodum Cleanthes noster versibus disertissimis adloquitur, quos mihi in nostrum sermonem mutare permittitur Ciceronis, disertissimi viri, exemplo. Si placuerint, boni consules. Si displicuerint, scies me in hoc secutum Ciceronis exemplum.

‚Duc me parens celsique dominator poli,
quocumque placuit, nulla parendi mora est.
Adsum impiger. Fac nolle comitabor gemens
malusque patiar, facere quod licuit bono:
ducunt volentem fata, nolentem trahunt.'

(Versus Cleanthis ipsius servati sunt ab Arriano in Epicteti enchiridio c. 53.). Sin autem illa Senecae verba paulo accuratius inspicies, apparebit, versus non Ciceronis, ut Burmannus vult, sed Senecae ipsius esse. Id tantum ex illo loco patet, Ciceronem et ipsum illos Cleanthis versus nescio quo loco Latine expressisse.

Versus incertae sedis.

Ad extremum paucos versus enumerare mihi liceat, qui cui Ciceronis carmini addicendi sint mea quidem sententia statui non potest.

Versus ille

,o fortunatam, natam me consule Romam'

utrum in carmine ,de consulatu meo' an ,de temporibus meis' occurrerit, diiudicari non posse, iam supra (p. 41.) dictum est. —

Versum quendam

,nam quasi vos sibi dedecori genuere parentes,'

quem Ciceronis esse Probus de ultim. syll. p. 248. 13. K. testatur, Baiterus & Kayserus (l. c. p. 135.) eosque secuti C. F. W. Muellerus (l. c. p. 402.) et Baehrensius (fr. poet. Rom. p. 303.) in carmine ,de consulatu meo' scriptum fuisse putant. Sed quamquam id fieri potuit, tamen argumento firmari non potest. In alio quoque carmine illa verba dicere licuisse Ciceroni concedendum est. —

Versum

,Oppius advenit, comes est quoque Tettius illi,'

qui a Terent. Mauro 1246. auctoris et carminis nomine non posito affertur, quo iure Baehrensius (fr. poet. Rom. p. 303.) inter fragmenta carminis ,de consulatu meo' enumeret, intelligi non potest. —

Praeterea viri docti inter se discedunt, cui carmini sit attribuendus versus, qui invenitur apud Ciceronem in ep. ad Att. II. 15. 3.:

,in montes patrios et ad incunabula nostra
pergam.'

Tunstallus, Baiterus & Kayserus (l. c. p. 130.), C. F. W. Muellerus (l. c. p. 396.) haec verba ad carmen ,Marius', Orellius (l. c. p. 1051.) et Baehrensius (l. c. p. 303.) ad carmen ,de consulatu' referunt. Heusdius autem (l. c. p. 52. sq.) scripta illa fuisse putat

in carmine quodam ‚de villa Arpinati' composito, quod Ciceronem condidisse colligit ex ep. ad Att. I. 16. 18. (a. 61.): ‚velim ad me scribas, cuiusmodi sit Ἀμαλθεῖον tuum, quo ornatu, qua τοποθεσίᾳ, et quae poemata quasque historias de Ἀμαλθείᾳ habes, ad me mittas. Lubet mihi facere in Arpinati.' His autem ex verbis non coniciendum est, Ciceronem villam Arpinatem carmine celebraturum, sed in praedio Arpinati Atticum imitatum Amaltheum constituturum fuisse (cf. ad. Att. II. 1. 11; II. 7. 5.).

Prudentius de illo versu iudicat Boissierus (‚Cicéron et ses amis' praef. p. XII.), qui dicit, Ciceronem eum fortasse e quodam suo ipsius carmine sumpsisse. Nec re vera in toto illo loco epistulae ad Att. II. 15. ullo modo significatur, Ciceronis esse versum. At saepius Cicero, praecipue in epistulis, aliorum versus poetae nomine non adiecto affert. Qua de causa non modo non, cui eius carmini, sed omnino non, num ei ipsi ille versus assignandus sit, mea quidem sententia constat.

Haec sunt quae de Ciceronis carminum titulis, argumentis, temporibus erui statuique posse mihi visa sunt. Undecim igitur poemata praeter illos singulos conversos locos et epigrammata quaedam ille conscripsit: atque adulescens quidem praeter Marium imprimis Graecorum eorumque Alexandrinorum poetarum carmina vel in Latinum transtulisse vel liberius imitatus esse videtur; posteriore autem aetate arte poetica satis exercitatus excultusque argumenta imprimis e rebus Romanis sumpsit. Accuratius quo tempore composita sint, de quattuor tantum carminibus quaeri potest. ‚Marius' enim, ut mihi videtur, inter a. 86. et 83., carmen ‚de consulatu meo' a. 60., ‚de temporibus meis' a. 55. (editum demum a. 54.),

‚de Caesaris expeditione Britannica' altero dimidio anni 54. confectum est.

Nullum poema integrum exstat, complurium ne fragmenta quidem servata sunt et tituli non nisi uno testimonio traduntur, illius elegiae ne titulus quidem constat.

Omnibus fragmentis comprehensis carminum Ciceronianorum (singulis translatis illis locis adnumeratis) fere 750. versus adhuc servati sunt.

Theses.

1) Liv. 41. 4. 3. legendum esse arbitror: ‚confestim et, quos binos oneraria in iumenta imposuerant, secuti et Catmelus cum toto agmine'. (Traditum est ‚et consul ....').

2) Verg. Ecl. 3. 109. sq. propono:

‚et quisquis amores
haut metuet dulcis, etiam experietur amaros'.

(codd. habent ‚.....aut metuet ... aut experietur...').

Vita.

Maximilianus Grollmus natus sum a. d. III. Id. Sept. a. h. s. LXIV. Sartovicii in praedio quodam Borussiae occidentalis patre Ernesto, quem abhinc iam duodeviginta annos morte ereptum esse doleo, matre Emma e gente Scheffler, qua adhuc superstite gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Vere a. h. s. LXXIII. adii gymnasium Graudentiense, quod per decem annos frequentavi sub auspiciis prius A. Hagemanni, tum H. Kretschmanni virorum doctissimorum. Vere a. h. s. LXXXIII. maturitatis testimonium adeptus Berolinum me contuli, ut studio linguarum recentiorum me darem: mox autem consilio mutato ad antiquitatem transii. Per quinque semestria ibi audivi scholas virorum doctissimorum *Curtius*, *Diels*, *Huebner*, *A. Kirchhoff*, *Paulsen*, *Robert*, *Scherer* †, *Vahlen*, *Zeller*. Ad exercitationes philologicas admisit me Vahlen per unum, Diels per duo semestria, ad exercitationes epigraphicas A. Kirchhoff per unum semestre. Autumno a. h. s. LXXXV transmigravi Regimontium, ubi per quattuor semestria interfui vel intersum scholis virorum doctissimorum *Friedländer*, *Hirschfeld*, *Jordan* †, *Ludwich*, *Schade*, *Thiele*, *Walter*. Hic per quattuor semestria sodalis ordinarius sum seminarii regii philologici, per duo semestria seminarii regii Germanici.

Omnibus illis viris doctissimis gratias ago et semper habebo maximas, praecipue autem Henrico Jordano, cuius benigno consilio ad huius dissertationis materiam aggressus sum, cui quod jam non inter vivos praesenti praesens gratias agere non possum maxime doleo.